UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo Distribvta

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

urn:nbn:de:hbz:466:1-52359

Visual Library

Th. 3088.

I. V
22.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CROESVS ET CODRVS.

hoc est,

COPIÆ ET INOPIÆ

# DAMNA vel LVCRA,

à bono iustoq; Mundi Gubernatore

DEO DISTRIBVTA:

à

## GEORGIO STENGELIO

Soc: IESV Theologo expensa.

*IN SPOLIATORVM SOLATIVM,*

*& Spoliantium documentum.*

*Factum est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Luc: 16. V. 22.*

*Permissu Superiorum:*

Et cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis.

Ingolstadij, apud GREGORIVM HÆNLIN.

Anno 1648.

Soc. Jesu collegii Paderb. 1657.

PERILLVSTRI AC GENEROSO
DOMINO DOMINO

# HERMANNO IACOBO,

S. R. I. COMITI AB ATTHEMBS, LIB. BARONI AD S. CRVCEM, DOMINO IN CANAL, LVCEMAII, POTHECRAII, REICHENBERG, DANZENBERG &c: ACADEMICÆ INGOLSTADIENSIS CONGREGATIONIS, ALTERA VICE, PRÆFECTO, DOMINO SVO PLVRIMVM OBSERVANDO.

YSistratum ego imitor, PERILLVSTRIS DOMINE COMES, nam illũ aiunt in vulgi fabulam ac prouerbium abijsse, quòd, cùm extremæ paupertatis esset, tamen diues crederetur; & ab eo alij re inopes, opinione opulenti, vulgò *Lysistrati diuitias habere* dicerentur. In

uno ego hoc libro multum & parum affero, quia in eum diuitias incluſi & paupertatem, copiam & inopiam, Cræſum & Codrum. Ita tempus monebat; ita res ipſæ exigere videbantur. Nunquam aliàs Fortunæ bona magis ſuam oſtenderunt inſtabilitatem. Qui heri Pelopis, Tantali, aut Zopyri talenta poſſederunt; hodie piſtillo aut leberide ſunt nudiores; Hecala, aut Telenico pauperiores, Pauſoneq; ipſo mendiciores. Vnâ horâ Mars, Mercurio & Vulcano comite, Fortunas omnes euertit, quas vix longi multorum annorum labores & curæ congregauerunt. Hinc luctus & lamenta, quibus leniendis ſolatia nulla dari poſſunt meliora, quàm ſi ad diuinæ ptouidentiæ, iuſtitiæ, & bonitatis leges oculos mittere iubeantur. Quod quidem ego ita pauperibus ac ſpoliatis cano, vt ſimul etiam moneam, diuitias non ſemper opti-

optimis contingere; aut, si contingant, eas ab optimis optimè impendi.

Cuius virtutis, cùm in te, PERILLVSTRIS COMES, Sodalitas nostra Mariana, immò Vniuersitas tota Ingolstadiana nobile exemplum intuetur, iure nomini tuo liber iste à me dedicatur. Nam, præter inclytum stemma, & sanguinem verè generosum,

*Dij tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi.*

Rarò hæc duo in alijs sociantur. *Diuitias* multi sæpe, pauci etiam simul *artem fruendi* obtinuerunt, nummis in nugas, & haud rarò in æternum quoque exitium abusi; quasi perire non possent, nisi pecunijs, ad generum Cereris aditum sibi facerent. Aliter tu, etiam in his iunioribus annis, vti auro didicisti. Impendis, vt decet; in honestam vitæ sustentatio-

nem; in litteras, in pietatem. Vita tibi adiungit authoritatem, tuo argento ornantur bibliothecæ, tua liberalitate egentes vestiuntur. Quod eâ prudentiâ agis, vt, quisquis te nouit, nec prodigum esse dicat, nec parcum. Haud immeritò igitur hunc tibi consecro librum, in cuius prima fronte ipse es pro exemplo ponendus.

Sed & altera quoque caussa est, præclara eruditio tua. Vidi multis libros inscribi, quos non intellexerunt. Tu hunc librum lecturus es, & intellecturus. Ita enim emines inter litteratos, vt inter Iuris Latas quidam Hesperus esse videaris. Certè qui te audiunt leges interpretantem, aut decidentem lites, grauissimasque Iuris quæstiones adducentem in controuersiam, nulli secundum esse affirmant. Quam ob rem, quod paucorum est, publico te ausus es certamini

mini committere, & iuris non iam auditores tantùm, sed etiam Professores in arenam prouocare: ac, ne in angustũ contraheretur occasio præliandi, cùm alijs ad magna promouendis vna sufficiat controuersia, tu centum contentus non fuisti. Nimirum, vt in multis alijs sæpenumero discrepant natura & industria, ita in te studium atque ingenium paria extiterunt.

Quoniam autem omnes scientiæ sine virtute, membra sunt sine anima, illud est quod in te maximè suspicimus, vt omnia in te viuerent, intellectum scientijs, virtutibus voluntatem ornauisti. Quæ tantò in te sunt conspectiores, quia res diuersas inter se se faciunt conspirare. Res pulcherrima est, in vno pectore iuuenilis ætas, & virilis grauitas; opes bonæ, & boni mores; abundantia, & temperantia; gloria & modestia; in-

geniũ prudens, & prudentia ingenio-
ſa; deniq; docta pietas, & pia eruditio.
Hæc in te vidit, & admirata eſt vni-
uerſa Sodalitas Mariana, voluit ergo
non admirari tantùm, ſed etiã vene-
rari Quare alterâ vice, in Præfectum
elegit; vt tam illuſtris lucerna ſupra
candelabrum poſita omnibus, qui in
hac Deiparæ domo ſunt, præluceret.
Eius itaque Congregationis nomine
mihi quoque commiſſæ, titulo tuo,
vtique & merito, librum hunc meum
inſignio; qui ſi ab authore obſcurus
eſt, non potui ei lumen aptius appo-
nere. Vale. Ingolſtadij Anno. 1648.
7. Cal. Iun.

PERILLVSTRIS ET GE-
NEROSAE DOMINA-
TIONIS TVAE

Seruus in Chriſto

GEORGIVS STENGELIVS
SOC. IESV.

# PRÆFATIO.

VErè rectéque Iudex vocatur Mundi Gubernator. *Talem eum omnes agnouerunt ſapientes.* Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies? *ait regius Pſaltes. Iudicat Deus in cælo, iudicat in terra. Hinc dicitur:* Et annunciabunt cæli iuſtitiam eius, quoniam Deus iudex eſt, *qui ſuperbum Angelum inde deiecit. Hinc in laudes eius excitantur terrigenæ illis verbis:* Exultate in conſpectu eius, turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum, *quos iniqui oppreſſum eunt.* Noli inſpicere ſacrificium iniuſtum, quoniam Dominus iudex eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ. *Et Iſaias ait:* Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter. *Ieremias quoque ita loquentem inducit:* Ego ſum iudex, & teſtis, dicit Dominus. *Vt alios quàm plurimos omittam, Paulus* Iudicem omnium DEVM *nominat.*

1.

Pſal. 7.12.

Pſal. 49.6.

Pſal. 67.6.

Eccli. 35. 15.

Iſa. 33.22.

Ierem. 29. 23.

Hebr. 12. 23.

)( 5 Dat-

11; *Datur autẽ illi hic titulus ob varia iudicia illius. Nam & Angelos in cælo, & & primos parentes in Paradiſo, & omnes homines in hoc Mundo, & defunctos poſt hanc vitam iudicauit; iudicaturúſque eſt omnes aliquando creaturas intellectu præditas, in publico totius Mundi theatro. Hæc iudicia enumerauit etiam D. Auguſtinus, expoſuitq; illis verbis:* Ideò, cùm diem iudicij Dei dicimus, addimus vltimum, vel nouiſſimum: quia & nunc iudicat, & ab humani generis initio iudicauit, dimittens de Paradiſo, & à ligno vitæ ſeparans primos homines peccati magni perpetratores: imò etiam quando angelis peccantibus non pepercit, quorum princeps homines à ſe ipſo ſubuerſus inuidendo ſubuertit, proculdubio iudicauit. Nec ſine illius alto iuſtoque iudicio, & in hoc aëreo cælo, & in terris, & dæmonum, & hominum miſerrima vita eſt erroribus ærumnisque pleniſſima. Verùm, etſi nemo peccaſſet, non ſine bono rectoque iudicio Deus vniuerſam rationalem creaturam perſeuerantiſſimè ſibi domino ſuo cohæren-

D. Auguſtin. lib. 20. de ciuit. c. 1.

rentem in æterna beatitudine retineret. Iudicat etiam, non solùm vniuersaliter de genere dæmonum atq; hominum, vt miseri sint, propter primorum meritum peccatorum: sed etiam de singulorum operibus proprijs, quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nam & dæmones, ne torqueantur, precantur. Nec vtique iniustè vel parcitur eis, vel pro sua quique improbitate torquentur. Et homines plerumque apertè, semper occultè luunt pro suis factis diuinitus pœnas: siue in hac vita, siue post mortem: quamuis nullus hominum agat rectè, nisi diuino adiuuetur auxilio: nullus dæmonum agat iniquè, nisi diuino eodemque iustissimo Dei iudicio permittatur. Sicut enim ait Apostolus: Non est iniquitas apud Deum.

III. *De primis illis Dei iudicijs alibi iam disserui; de vltimo, Deo dante, vti & de particulari vniuscuiusque, post obitum, iudicio, breui aliquot libri sequentur: de medijs autem sex iam partes dedi, seu duos tomos, in quibus ostendi, ad Conditorem Mundi pertinere, vt, quod*

*sapi-*

*sapientissimè fabricauit, idem prouidentissimè conseruet, summaq;, & iustitia, & bonitate gubernet, nulla Dea, quam vulgus* Fortunam *vocat, partem regiminis vsurpante, nullis* Casibus, *nullis* Sortibus, *nullo* Fato, *ei quidquam præscribente, aut sceptro eius manum inijciente. Itaq; tunc præcipuè verum est,* magna negotia magnis adiutoribus egere, *quando ad immensam potentiam venitur. Vnde conficitur, nihil fieri sine Deo. Quod si ita est, vti esse fatentur omnes sapientes, rursus necesse est, omnia, quæ in Mundo hoc fiunt, non fieri nisi Deo perspicacissimè vidente, prouidentissimè disponente, sapientissimè ordinante, iustissimè immittente, vel æquissimè permittente.* Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine ma-

Sapi. 7. 24.

cu-

cula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. *Itaque demonstrandum fuit, quo modo hæc in* Mundo, *&* partibus Mundi *magni vel bonitas, vel maiestas reluceret; qua ratione item, in paruo mundo, seu homine, ac propagatione illius (quæ legitimè non nisi per* matrimonia *contingit) cerneretur, cùm* fausta *quædam, quædam* infausta *esse videamus. Denique num* Monstra, *quæ sunt quidam naturæ errores, & ipsa Numinis bonitatem atque æquitatem commendent?*

*Hæc omnia vel in vno Iobo, viro simplicitatis generosissimæ, tanquam in quodam diuini artificij compendio, mortalibus agnoscenda proposita sunt. Quanquam neque hæc ipsa omnia sint, quæ in diuinorum iudiciorum thesauro spectari possunt. Longè plura maioraq; restant, vel in ipso quoq; Iobo consideranda, in quibus vtiliter scrutandis materiã habet humana admiratio. Nam præter Mundum Mundiq; partes, & incolas earum, multa* IV.

*sunt,*

*sunt, quæ hominibus accidunt, non sine nutu diuino, nec tamen perspicuam videntur habere caussam, ob quam diuini iudicij bonitatem, aut æquitatem possimus prædicare. Sunt enim in Mundo* opes, *&* paupertas; *est* copia & inopia; *sunt* deliciæ & fames; *sunt* dignitates & infamia; *sunt voluptates &* dolores; pax
Osee. 3.6. & bellum; sanitas & morbi; vita & mors. *Denique* si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? *ait Propheta. Cur igitur opulentissimus Iob ad incitas est redactus? cur eum hostes spoliauerunt? cur de opiparis opsonijs, vino, ornamentis, maxumis optumitatibus ad simum deiectus est? cur ignominijs, morbisq; oppletus? Nonne hæc omnia ei tormenta Orcus admouere non potuisset, nisi obtenta à Deo potestate? An quia hæc patitur Iob vir iustus, ideò Deus est iniustus? nequaquam; sed in his omnibus summa æquitas, summa bonitas, summa sapientia conti-*
Sapi. 7.13. *netur.* Quam sine fictione didici, & sine in-

uidia

uidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. *Sed à paupertate ordior, quam fames, & despicientia, & plura mala comitantur; vt inopes primo statim in limine reperiant diuinæ prouidentiæ templum, discantq; ferendo vincere, quod ferendum est.*

V. Guilielm. Paris. lib. de morib. c. 3.

*Refert Guilielmus Parisiensis hanc ex Æsopo, de arundine & quercu fabulam.* Quercus vehementia venti confracta fuit, arundo verò illæsa permansit. Admirata igitur quercus confractionem suam, & euasionem arundinis, interrogauit arundinem qualiter hoc factum esset? & respondisse fertur arundo: Quia tu præsumens de fortitudine tua voluisti resistere vento, qui fortior erat te, sicut manifestè ostendit corfractio, ego autem cessi humilians me, sic euasi. *Eadem fabula extat apud Rufum Festum Auianum, vbi canna humilis quercui delapsæ, & caussam scisciranti, cur tam placidè se in suo statu contineret?*

Stri-

Stridula mox blando respondit canna susurro,
Seq; magis tutam debilitate docet.
Tu rapidos (inquit) ventos, sæuasque procellas
Despicis, & totis viribus acta ruis.
Atqui ego surgentes paulatim demoror Austros,
Et quamuis leuibus puouida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus,
Motibus aura meis ludificata perit.

*Hoc volo, vt qui aduersis afflantur ventis, discant se submittere, non opponere. Præstat flecti, quàm frangi; & pati, quàm mori. Quanquam apud quos virtus radices egit, immoti perstant. Nam, vt D. Cyprianus scripsit*, Arbor, quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus, non mouetur.

5. Cyprian. serm. 4. de mortal.

# CROESVS ET CODRVS,

*Hoc est,*

## COPIÆ ET INOPIÆ VEL DAMNA, VEL LVCRA, A DEO NON MINVS BENIGNE, QVAM IVSTE DISTRIBVTA.

## CAPVT I.

*Paupertas, ob quas cauſſas, hominibus odioſa atque execrabilis eſſe videatur?*

§. I.

*Idem, apud Deum, pauper & dives: ſed non item apud homines.*

DVÆ res, maximè inter ſe diuerſæ, humanam vitam exercent, Copia & Inopia. Habent enim alij multum, alij parum, aliqui etiam omnino nihil, in hoc Mundo. Quæ varietas illi aſcribenda eſt, qui regit Vniuerſum. Vt enim paterfamilias, ea quæ in domo ſunt, ita, quæcumq; in Mundo ſunt, Deus diſtribuit. Ille, quia *Dominus vniuerſorum* eſt, cui vult, ea, dat ea: *Dominus pauperem facit, & ditat. Omnes in verbo Dei concordate; & diuitem,* 1. Reg. 2. 7. S. Aug. ſerm. 205. de temp.

*& pauperem Deus fecit*, ait S. Augustinus, *scriptura loquitur: Dives & pauper occurrerunt sibi, fecit autem ambos Dominus. Dives & pauper occurrerunt sibi. In qua via, nisi in ista vita? Natus est dives, natus est pauper.* Pares natura, dispares fortuna. Copiam vni, inopiam alteri destinauit. Itaque *paupertas, & honestas à Deo sunt.* Sed non perinde ab hominibus æstimantur. Qui diuitijs affluunt, facilè agnoscunt, se beneficio affectos esse; difficiliùs credunt se à Superis amari, qui premuntur egestate. Hinc citò titubant; hinc queruntur; hinc nonnumquam etiam judicant, malè judicare, in terris, supremũ rerum Moderatorẽ, vt qui iniustis det opes, iustis auferat; probos egere, mendicare, circumueniri, spoliari, omnibus fortunis exui; improbos gaudere, pingueſcere, cumulare aurum atque argentum, & in omnium rerum optabilium abundantia viuere patiatur. Denique *diuites*, non secus atque *diuos* aspiciunt, & appellant; pauperes infelices arbitrantur. Vnde Germani, eodem vocabulo, *pauperes*, & *miseros* afficiunt. Quamuis enim non ignorent, plurimos esse *miseros*, qui *pauperes* non sint, nullum tamen vulgò *pauperem* esse posse existimant, qui non sit idem & *miser*.

Eccli. 11. 14.

§. II.

## §. II.

### *Quanti diuitias fecerint Poëtæ?*

Vtrumque hoc affirmatè pronunciauit Comicus, cuius hæc est sententia: *Vt cuiq; homini res parata est, firmi amici sunt: si res lassæ labant, itidem amici collabascunt. Res amicos inuenit.* Quanta igitur felicitas est in amicis sita; tanta miseria, amicis carere, qui tempore necessitatis succurrant. Plaut. in Sticho.

*Argentum, & anima, & sanguis est mortalibus:*
*Quo qui caret, nec hoc sibi cautus parat,*
*Viuos is inter mortuus homo obambulat.*

Eamdem cantilenam cantat Menander in his versibus.

*Ego vtiles verò Deos esse arbitror*
*Nostros, & Argentum, & Aurum maximè.*
*Istos quidem si dedices tua in domo,*
*Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,*
*Ager, domus, seruiq; & argyromata,*
*Testes, amici, judices: tantùm dato.*

Adeò potentes faciunt nummi, &, vt Aristoteles ait, *omnia vanalia nummis.* Nimirum, sicut vbique ferè *in pretio pretium est*; ita viciſſim miserrima res est, nihil posse, cùm velis posse. Enimuerò quemadmodum

homines, quæ volunt splendere, inaurant, ita

*Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.*

Horat. lib. 2. ser. 5.

Quanti sanguinis vidimus viros despectos, postquam aurum perdiderunt? Crœsos, non Codros populus adorat. Quàm præclaras experimur virtutes, sub sciſſili palliastro, delituisse? Quot viuacissima ingenia neglecta sepeliuntur, quæ excitata fuissent, splenduissentque, si habuissent Mecœnates? Quã irroborata est opinio, vt ferè vnusquisque tanti fiat, quantum habet. Clarè illud expressit Iuuenalis, cùm diceret:

*Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,*
*Tantum habet, & fidei.*

Vsque adeò calamitosus est inops, vt, cùm careat, vnde se alat, ne fidem quoque habeat, vnde acquirat.

## §. III.

### *Quanti fecerint diuitias Prophetæ, & Philosophi?*

Sed relinquamus Poëtas, consulamus Prophetas, quorum vnus ait: *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Nam super alias afflictiones accessit, vt propter inopiam vi-

Psa. 30. 11.

res

res priſtinas amiſerit. Idem enim eſt, *virtus mea*, quod *oſſa mea conturbata ſunt*; per *oſſa* ſiquidem, robur intelligimus, quod Dauidē defecit, quando ſine vllo commeatu fugit, & ad loca deſerta ſe recepit, non ſolùm pedibus, ſed etiam nudis pedibus iter faciens. Quid ſi etiam ait, *infirmata eſt, in paupertate virtus mea*, quia animi quoque robur quatitur ſæpe impatientiâ paupertatis? Atrox eſt enim, etiam teſte Iobo, pœna, ſi reges *vinciantur funibus paupertatis*, propter ſcelera videlicet ſua, *quia violenti fuerunt*. Quantò maior ærumna cenſebitur, ſi in paupertatem incidant innocentes? Qua de cauſſa ipſum Iobum, cùm *poſſeſſio eius creuiſſet in terra*, eumque Tartareus hoſtis vellet facere impatientem, dixit ad Deum: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſsidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Neque ſanè parum fuit, vna vice, & boum armenta, & aſinarum cateruas, & ouium greges, & camelorum turmas, cum pueris & ſeruis ei auferri. Menippus Phœnix, ſectâ Cynicus, cùm habendi cupidiſſimus eſſet, amiſſis bonis, laqueo vitam finiuit, vt de eo teſtatur Laërtius. Et longè celebrior Philoſophus Zeno, cùm ſæpe neſcio quem

2. Reg. 15. 16. & 17.

Iob. 36. 8.

Iob. 1. 10.

Bruſon. l. 2. c. 26.

contemtum diuitiarum præ se ferret, Antigonus rex ei falsò fecit nunciari, *Prædia illius ab hostibus esse directa*; eo nuncio ita perculsus est, vt in magnam tristitiam ostenderet se incidisse. Quod non mirum est accidisse Ethnicis, cùm in Iudæa, vbi notus erat Deus, paupertas maledictionis loco fuerit judicata. *Tunc temporum*, ait Gabriel, *paupertas pro maledictione, & diuitiarum abundantia pro benedictione erat. Hoc innuit Propheta dicens: Beatum dixerunt, cui hæc sunt.* Et Abulensis: *Iudæi*, inquit, *putabant, quòd Messias redimeret eos, à temporali seruitute, & deduxisset regno Israël, ad prosperitatem maiorem temporalem, quàm fuerat sub Dauid, & Salomone, & ceteris regibus. Propter quod plurimi Iudæorum non receperunt Iesum in Messiam; quia non liberauit aliquid de temporali regno; & ista erat quasi communis intentio omnium Iudæorum, tempore Christi.* Eadem mens est alijs plerisque, ex cortice de nucleo, ex veste de animo judicant. Hinc illud Calphurnius lamentum edidit:

Gabr. in supplem. ad dist. 30 q. 2. Concluſ. 4.

Psal. 143.

Abulens. tom. 1. in Matth. q. 43. in c. 1.

Calphur. Eclog. 7.

*O vtinam nobis non rustica vestis inesset,*
*Vidissem propiùs mea numina: sed mihi sordes,*

*Nudaq;*

*Nudaq; paupertas, & adunco fibula morsu*
*Obfuerant.*

§. IV.

*Paupertas amicis, rebus necessarijs, & ope aliena videtur carere.*

Plures sunt causſæ, cur paupertas mala censeatur, non enim tantùm amicis caret, qui nummis caret; non tantùm destituitur necessarijs rebus ad vitam sustentandam; nec tantùm despicitur; aut odiosos facit; sed etiam alijs malis obruitur, ob quæ meritò despici videtur. Nam paupertas causſa est malæ educationis liberorum. Paupertas est multorum grauium criminum occasio. Paupertas ipsas virtutes facit steriles. Paupertas reddit homines hominibus, ob furta, & latrocinia, abominandos. Paupertas homines ad blasphemandum impellit, & adigit ad laqueum atque extremam desperationem. 1. Quòd amicis careat pauper, Salomon docuit illis verbis: *Diuitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.* Quod Poëta ita expressit, Prou. 19. 4. 5.

*Cùm fueris felix, multos numerabis amicos:*
*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Quin vt idem Salomon dixit: *Fratres hominis* Prou. 14. 20.

*nis pauperis, oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi.*

2. Quòd rebus necessarijs careat, idem testatur. *Redemtio animæ viri, diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet,* Prou. 13. 8. nihil potest militi importunè petenti obsipare; nullo munusculo lenire ferocientem exactorem; non se à seruitute, non à vinculis captus, non à tyrannide liberare oppressus. 3. Hoc ipso, quia pauper amicis caret, despicitur, & ita inops est, vt ope careat etiam aliena: Hinc illud:

Martial. *Pauper eris semper, si pauper es, Æmiliane:*
*Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.*

Et alterius Poëtæ.

Ouid lib. 1. Fast. *In pretio pretium nunc est: dat census honores,*
*Census amicitias, pauper vbiq; iacet.*

Iuuenal. Satyr. 3. Denique *Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat*
*Res angusta domi.*

§. V.

*Paupertas malæ educationis & vitiorum caussa, virtutumq; obex esse videtur.*

4. Paupertas idcirco est malæ educationis caussa,

causſa, quia deeſt didactrum, quod detur magiſtris dicentibus:

*Scire volunt omnes, mercedem ſoluere nemo:*

deeſt peculium, quod detur pædagogis, fruſtra non ſeruientibus; deeſt argentum, quod detur opificia docentibus. Hinc, teſte Plutarcho, Ariſtidis Athenienſis indigna paupertas, liberos eius partim, ad ſtipem publicè accipiendam, adegit, ob inopiam, manus porrigere: partim redegit ad tabulas præſtigiatrices; nulli verò facultatem rei vllius præclaræ, aut ipſius dignitati conuenientis gerendæ permiſit. 5. Certè ſæpenumerò dira egeſtas, ad quædam indecora, immò nefanda homines agenda, vel patienda impulit. Egeſtas multos eò adduxit, vt furta committerent, vt rapinas exercerent, vt latrocinia patrarent. 6. Egeſtas conſtantiam labefactauit, fortitudinem fregit; prudentiam ſeduxit, iuſtitiam vendidit; ſeditiones mouit, proditiones promouit; innocentiæ ſcopulus, ſanctitatis naufragium fuit, & ruina virtutum. Atq; hoc etiam ſenſu Propheta dixit: *Infirmata eſt in paupertate virtus mea.* S. Hieronymus legit: *Infirmata eſt in iniquitate virtus mea,* ac ſi

Plutarch. in Ariſtidis & Catonis comp.

Pſa. 30. 11.

ac si idem sit dira egestas, & iniquitas. *Aliquid quotidie*, inquit ad Lucilium Seneca, *aduersus paupertatem auxilij compara, nec minus aduersus ceteras pestes.* Senecæ igitur inter pestes est paupertas, & quia virtutum robur tollit, eneruatque vires pectoris generosi, cuius vigor, vt in Iob legimus, fit *inopiâ & fame sterilis*; & quia pessimas inducit in hominum mentem dispositiones, quæ quasi tempestas sunt vitiorum. Ita enim Ieremias loquitur: *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Varias enim fames excitat tempestates, vnde boni mores, & bonæ artes, & bonæ virtutes naufragium patiuntur. Itaque sapientes diram egestatem, quasi *iniquitatem, pestem, tempestatem* censuerunt fugiendam: *vt dum mater criminum necessitas tollitur, peccandi ambitio auferatur;* ait Cassiodorus. Quin, teste S. Chrysologo, ipse *esurijt Christus, vt tentandi materiam diabolus inueniret.* Quare non sine causa orauit regius Psaltes: *De necessitatibus meis erue me.* Et Manasses coniux Iudithæ illi sufficientem censum reliquit, ne egestate oppressa ad illicita traheretur, inopiaq; illi esset occasio ruinæ. Quia, vt Cicero sensit, *omnes qui in paupertate sunt, malunt*

Senec. ep. 2.

Iob. 30. 3.

Thren. 5. 10.

Cassiodor. lib. 9. ep. 13.

S. Pet. Chrysol. serm. 11.

Psal. 24.

Iudith. 8. 7.

Cic. ad Herenn.

*malunt maleficio, quàm officio parare diuitias.* Et Philosophus existimat *fieri non posse, vt indigens operetur bona.* Certè alibi ait: *Impossibile est, indigentem bene principari, & studio vacare.* Saltem hoc incommodi habet pauper, *quòd non possit egentibus subuenire,* neque exercere liberalitatem, quæ apud inopes nimis paruo centro & spatio est circumscripta.

Aristot. l. 3. Ethic. Idem l. 2. Politicor.

## §. VI.

*Bulæ exemplum egestate ad rapinas adacti.*

Atque, vt vnum alterumúe exemplum afferam, in quo apparet, quid in vitijs possit paupertas, de iuris violatione, ita pronunciat D. Ambrosius: *Sicut diuitiæ negligentiam pariunt salutis; ita egestas dum saturari quærit, à iustitia declinat.* Si enim exossis, vt in prouerbio est, suum ipse rodit pedem, quantò auidiùs inuadet alienum? Quare, vt inopiam mutaret in abundantiam, testa Xiphilino, Bulas cœpit, infestissimis armis, per Italiam grassari, factusque est, sub Seuero Imperatore, famosissimus latro. Siquidem comparatâ sexcentorum sicariorũ manu, per totum biennium, maximas prædas fecit. Hic cùm Centurionem vitæ suæ insidiatorem cepisset, raso eum capite ad

S. Ambr. in epist. S. Pauli.

Xiphilin. in vita Seueri.

Seue-

Seuerum Imperatorem remisit, cumque interrogaretur, quid Imperatori vellet nunciari? *Iube*, inquiebat, *dominos tuos ipsos seruos suos alere, ne latrocinentur*. Habebat enim Bulas multos apud se Cæsareanos, partim exigua mercede, partim nullo certo stipendio conductos, qui se numquam ad latrocinandum contulissent, si Cæsar debito stipendio persoluto, eos ipse aluisset. Itaque quos stipendij spes fecerat milites, illos salario subducto inopia fecit latrones. Quales hodieque multi non solùm proscripti, verùm etiam ob alimenti penuriam profugi inueniuntur; qui malunt sub latronum duce stipendijs expleri; quàm ibi milites ærarij esse, vbi neque æs, neque argentum; neque commeatus vllus habetur. Quamobrem idem Bulas, cuiusdam mulieris, cum qua scortabatur, ope deprehensus, & à Papiniano præfecto prætorio interrogatus, cur latrocinium feciisset? respondit: *Et tu dic, cur Præfectus sis? Erat nimirum Papinianus homo prædives, & magna apud Cæsarem existimationis, ac propter opum suarum splendorem in aulam admissus, Bulas verò penuria rerumq; egestate vexatus, latrocinio victum quærere cogebatur*. Quare sicut canes fame ad rabiem adigun-

adiguntur; ita homines inopia sic facit efferatos, vt obuios quosque, spolij caussa, quantumuis innocentes inuadant.

## §. VII.

### *Paupertas ærumnarum caussa.*

Ærumnas ex inopia natas quis non deplorauit? Ieremias, cùm lamentari vellet, dicebat: *Ego vir videns paupertatem meam*: itemque: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.* Et regum sapientissimus: *Omnes dies pauperis mali.* Innocentij verba sunt: *O miserabilis conditio mendicantis! si petit, pudore confunditur: si non petit, egestate consumitur: & vt mendicet, necessitate compellitur. Denm caussatur iniquus, quòd non rectè diuidit; proximus criminatur malignus, quòd non plenè subueniat, indignatur, murmurat, imprecatur: Vnde Salomon: Melius est mori, quàm indigere.* Et, si profanas audire voces libet, ait ille:

Thren. 3. 1. Ib. v. 19. Prou. 15. 15. Innoc. de vilitate condit. humanæ.

*Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri viuunt.*

*Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicêre artem vllam.*

Plaut. in Rud.

Et alius: *Heu me miserum, perij malè perditus, pessimè ornatus eo.*

*Tantum gemiti, & malæ molestiæ hic dies mihi obtulit, famem &*

Apud eundem Euclio in Aulularia.

*& pauperiem.*

*Perditissimus ego sum omnium in terra.*
*Nam quid mihi opus vita est, qui tantum auri*
*Perdidi, quod custodiui sedulò? egomet me fraudaui,*
*Animumq; meum, geniumq; meum, nunc eo alij*
*Lætificantur, meo malo & damno: pati nequeo.*

Quàm multos audiuimus, amisso marsupio, ad laqueum cucurrisse? Adeò restim quàm inopiam pati maluerunt.

§. VIII.

*Paupertas extremæ impatientiæ caussa.*

Eccli. 13. 30.

Atque vt diuinum oraculum audias: *Nequissima paupertas in ore impij.* Quod multa exempla confirmant, vno hîc, sed valde luculento rem demonstrabimus, quod Bartholomæus Bononiensis in hunc ferè modum recensetur. *Antonius Vrceus Codrus, Grammaticus celebris, Foroliuij cubiculum habebat, in penitiore palatij parte, varijs quidem ornatũ picturis, sed adeò in prima diei parte obscurum, vt nisi lucernæ beneficio, ne parietes quidẽ ipsos discernere posset. Vtebatur itaque lucerna fictili, rara pulchritudinis; in cuius summitate cælatum*

Barthol. Bonon. in vita Antonij Vrcei Codri.

tum erat: STVDIA LVCERNAM OLENTIA OPTIME OLENT. *Hanc cùm domi inextinctã reliquisset, incendij caussam fuisse creditum est. Nam matutino tempore, cùm negotij caussa in forum se contulisset, ignis chartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos diuagatus est. Periit liber ab eo compositus, qui inscribebatur Pastor: perière & reliqua eius bona. Fama est, ad primum incendij nuncium tantam animo imbibisse iram, vt exclamans veluti furore quodam concitus, ad regiam vsq; præcipiti gradu ire pergeret, pro foribusq; cubiculi astans (neq; enim ob incendium ingredi licebat) Quodnam ego, inquit, tantum scelus concepi, Christe; quem ego tuorum vmquam læsi, vt ita inexpiabili in me odio debaccheris? Conuersus postmodum ad simulachrum Virginis: Audi Virgo, ait, ea, quæ tibi mentis compos, & ex animo dicam: Si fortè cùm ad vltimum vitæ finem peruenero supplex accedam ad te opem oratum, ne me audias, neue inter tuos accipias, oro, cum infernis dijs in æternum agere decreui. Qui aderant, verbis quidem, quod poterant, ipsius iram lenire conabantur: sed clausæ erant aures, obstrepente ira: quæ adeò oppressit hominem, vt obiurgatis priùs amicis omnibus, si se sequerentur, extra portam egrederetur, nec ante imposue-*

*posuerit frenos amenti gradui, quàm in vastum se se proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Noctu vrbem petens, cùm portas offendisset clausas, in fimi acervo prostratus, lucem expectauit. Manè verò vrbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstrusit se se, ibiq; iugiter per sex menses solus, ac sine libris, vitam protraxit,* plenam tristitia, Diris, execrationibus, desperatione, & similem vitæ damnatorum. Huc redigit inopia. Nonné ergo grande malum est paupertas? Et tamen, vt initio diximus, à Deo est. Quo modo à bono potest esse malum? Hæc spina est, quæ pungit ineruditos, aut, vt veriùs dicam, impatientes, diuinorumque iudiciorum ignaros.

## CAPVT. II.

### *Quid sit, & quotuplex paupertas; tresq; pauperum classes.*

### §. I.

#### *Pauperum inani querelæ quomodo satisfiat?*

MAgnus est numerus hoc morbo laborantium; multi hac plaga icti superos querelis suis percusserunt, quorum

quorum vulnus numquam veniet ad cicatricem, nisi didicerint consilia Dei rectiùs æstimare. Ad quæ non curiosè, sed piè scrutanda Propheta quoque hanc quæstionem induxit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Ad quam quæstionem abundè respondet Dominus, cùm ait: *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis, &c. Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* Numquid enim hæc sufficiens est causa, cur mali copiâ gaudeant, boni inopiâ premantur? quis iam non mauult esse Lazarus, quàm epulo purpuratus? Scitum est illud Bedæ dictum: *Mali nihil habent in cælo, boni nihil habent in mundo.* Quod solum verbum pellere potest omne fastidium ex egestate. Sed altiùs rimandum est, quid sit paupertas, & quàm varia, itemque an, aut quæ mala? immò potiùs, qui sint pauperes, & quàm diuersi; & si qui sunt

Ierem. 12. 1.

Luc. 6. 21.

mali, an non ipsi potiùs mali, quàm paupertas? cùm plurimi sint, quos optimos fecit paupertas; plurimi, quos diuitiæ pessum dederunt; quamuis nec ipsæ malæ, sed (quemadmodum inopia, atque egestas) vel virtutum, vel vitiorum instrumenta, prout in bonas malasué mentes inciderunt. Quoniam igitur *paupertas & honestas à Deo sunt*, & vtroqueversus trahi possunt, homini, non Deo attribuendum est, si quid mali coniungitur cum paupertate. Vnde rectè in Prouerbio dicitur. *Qui despicit pauperem, Deo exprobrat*, cuius tamen sapientissimam in rebus dispositionem, vel ipsi pauperes laudant, si sunt sapientes.

Eccli. 11. 14.

Prouerb. 17. 5.

## §. II.

### *In quonam consistat paupertas?*

Quid igitur est paupertas? Vulgus malè eam putat esse aliquid quod possidetur; vocat enim exiguas opes paupertatem. *Meam*, inquit, *paupertatem magno labore corrasam, seruo in arca: meam paupertatem pro agro, pro villula expendi, meam mihi paupertatem furatus est seruus furcifer.* Ita enim vulgus loquitur, vt id, quod modicum est, non autem quod deest, appellet paupertatē; &, si fur abstulit, quod parum aderat, *abstulit.*

*stulit*, inquit, *mihi meam paupertatem*. Si rectè loqueretur, non diceret, *abstulit*, sed auxit mihi meam paupertatem, quando id abstulit, quod recondidi. Eo diues erat, quod possederat: itaque priuatione pauper factus est, non possessione. De hoc nominis errore etiam in scholis fuisse disputatum docet Seneca his verbis. *Vnus tibi nodus, sed Herculaneus, restat. Ex malis bonum non fit: ex multis paupertatibus diuitiæ fiunt: ergo diuitiæ bonum non sunt. Hanc interrogationem nostri non agnoscunt, Peripatetici & fingunt illã & solunt. Ait autem & Posidonius, hoc sophisma per omnes dialecticorũ scholas iactatum, sic ab Antipatro refelli. Paupertas enim non per positionem, sed per detractionem dicitur, vel (vt antiqui dixerunt) per orbationem: Græci dicunt κατὰ στέρησιν: non quod habeat, dicitur, sed quod non habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri potest: diuitias multæ res faciunt, non multa inopiæ. Aliter, quàm debes, paupertatem intelligis. Paupertas est, non, quæ pauca possidet* (alioqui qui nihil penitus possideret, pauper non esset, cùm sit omnium pauperrimus) *sed quæ multa non possidet. Ita non ab eo dicitur, quod habet, sed ab eo, quod ei deest. Facilius quod volo exprimerẽ, si Latinum ver-* Senec. epist. 87.

*bum esset, quo ἀποεία significatur. Hanc paupertati Antipater assignat. Ego non video, quid aliud sit paupertas, quàm parui* (vel etiam nullius) *possessio.* Quod contra Senecam, ex ipsius Senecæ principijs addo. Si enim *paupertas non per positionem, sed orbationem* dicitur, cur non etiam illius *parui possessione*, quæ illi paupertas est, aliquis vel inuitus, vel sponte orbari possit? Præterquam quòd *parui possessio*, non per detractionem, sed positionem dicatur. Rectè tamen paupertas *parui, vel nullius possessio* potest indigitari; quia in possessione parui, orbatio magni intelligitur. Quod si vidisset Martialis, nequaquā pauperem, aut paupertatem ita descripsisset:

Martial. lib. 11. Epigram.

*Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,*
*Nec tibi de bibula sarta palude teges.*
*Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,*
*Nec sera, nec clauis, nec canis atque calix.*
*Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri*
*Pauper, & in populo quaris habere locũ.*
*Mentiris, vanoq; tibi blandiris honore:*
*Non est paupertas, Nestor, habere nihil.*

Immò

Immò maxima est paupertas, *habere nihil.* Cur enim ad paupertatē exigatur alicuius, licet parui possessio? aut cur possessio ad orbationem possessionis? Parui possessio indicat, non facit paupertatem; quæ longè maior est, vbi nullius, ne teruncij quidem possessio reperitur; vti certè apud multos Sanctos fuit, qui ne acum quidem, aut filum suum esse dixerunt, omni omnino rerum proprietate à se abdicatâ, vt non solùm Connæ tibicini comparari possent, qui nihil habuit, præter oleastrum; verùm etiam, vt ne puluiſculum quidem possiderent. Etsi enim cibo, potuque & victu alijsque rebus indigerent, tamen numquam se earum dominos vocârunt. Potest enim vsus rerum à dominio discriminari. Maneat ergo, paupertatem in eo consistere, quòd quis careat ijs rebus, quas aptus est habere; & quò pluribus caret, eò esse pauperiorem.

§. III.

*Quotuplex sit paupertas, vel pauperes?*

Quòd autem vnus multum, alius parum, tertius omnino nihil possideat, aliquando quidem à solo rerum omnium Domino ac Deo, aliquando etiam ab homine, aliquando à dæmone quoque, aut aliunde est. Si à

ſolo Deo eſt, vel beneficij, vel ſupplicij loco debet haberi. Si ab homine quoque eſt; vel ex virtute, vel ex ſcelere, aut certè ſocordiâ, vel imprudentiâ parum, aut nihil poſſidetur. Si denique dæmon, aut ſiccitas, aut inundantia aquarum, aut incendium, aut hoſtis eſt cauſſa noſtræ egeſtatis, aut alia quæpiam res naturalis, ne id quidem accidit ſine nutu Dei, aut ſine iuſtâ cauſsâ, ſed ad virtutem noſtram vel excitandã, vel probandam, vel exercendam, vti Iobo euenit, cuius ſanctiſſimi viri armenta boũ & aſinarum latrones Arabes abegeruut; greges cæleſtis ignis, cum ipſis paſtoribus ſuis deuorauit; camelos Chaldæi ceperunt, Orco omnia procurante, ſed non priùs, quã illi à Numine frænum eſſet laxatum. Rectè porrò paupertatẽ, ratione illorum, qui eam ſeruant, in duplicem claſſem diſtribuit Horatius:

Horat. l. 2. ep. 2.

*Sunt, qui non habeant, eſt qui non curat habere:*

ſed rectiùs eam claſſem triplicem eſſe docuit Hugo, cùm dixit: *Paupertatis tres ſunt ſpecies. Sunt enim quidam, qui rebus temporalibus egent, ſed inuiti: & hac vocari egeſtas ſolet; egent enim rebus, & egent bona voluntate, qua ditius*

Hugo de clauſt. animæ lib. 1, c. 9.

*ditius nihil esse potest. Sunt alij qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu; & hac est aurea paupertas, quia licet affluant diuitiæ, corda tamen nolunt apponere. Tertia est mediocritas, quam Philosophi vocant frugalitatem, quæ est voluntaria.* Itaque tres sunt classes pauperum. Quidam carent opibus, sed contra suam voluntatem: hinc dolent, fallunt, peierant, furantur, latrocinantur, & mille technas inueniunt, vt paupertatem excutiant, diuitias adipiscantur. Alij rebus affluunt, sed mente illis non affiguntur: hi Deo se permittunt, & diuinæ prouidentiæ regimen semper putant esse bonum, quidquid agat. In quocumque casu dicunt: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.* Quare perinde illis est, siue apponatur illis aliquid, siue auferatur. Tertij ita philosophantur, vt videant etiam in paupertate maiorem virtutum, in diuitijs frequentiorem scelerum occasionem esse: quare, relictis opibus, & calcato auro, paupertatem sponte amplectuntur. Psal. 61.

§. IV.

*Prima classis inuitè paupertatem ferentium.*

In prima classe sunt omnes, quibus inuitis aliquid deest, etiam alioqui ditissimi. Senec. epist. 2. *Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat?* ait Philosophus. Qui in hac classe versantur, ijs sua paupertas est molesta, & fit occasio omnis generis vitiorum. Appetiuit arma Achillis Aiax, appetiuit Vlysses; data sunt Vlyssi, negata Aiaci,

Ouid. lib. 13. Metã.

*Hectora qui solus, qui ferrum, ignemq;, Iouemq;*
*Sustinuit toties, vnam non sustinet iram:*
*Inuictumq; virum vincit dolor: arripit ensem:*
*Et meus hic certè est: An & hunc sibi poscit Vlysses?*
*Hoc, ait, vtendum est in me mihi: quique cruore*
*Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit,*
*Ne quisquam Aiacem possit superare, nisi Aiax.*
*Dixit, & in pectus tum demum vulnera passum.*

Quà

*Quà patuit ferro, lethalem condidit ensem.* Mortis tam funestæ quæ caussa fuit? paupertas? armorum negatio? at multis & arma, & alia longè plúra defuerunt, neque tamen ferro incubuêre: non ergo orbitas, non paupertas caussa fuit tantæ miseriæ, sed occasio, qua malè vsa est cupiditas & impatientia Aiacis. Apud Suetonium: *Domitianus Imp. pubertatis ac primæ adolescentiæ tempus, tanta inopia, tantaq; infamia gessisse fertur, vt nullum vas argenteum in vsu haberet. Satisq; constat, Clodium Pollionem prætorium virum, in quem est poëma Neronis, quod inscribitur Luscio, chirographum eius conseruasse, & nonnumquam protulisse, noctem sibi pollicentis.* Maluit scilicet sceleratus adolescens, inhonesta admittere, quàm paucis contentus esse. Quo in crimine sunt omnes, qui, aut quæ, vt egestatem à se propulsent, meretricandi, adulandi, depeculandi, & deniq; nullâ non malâ arte, pecuniam faciunt, quorum dux & antesignanus est Iudas, qui vt argentum acquireret, non dubitauit eum vendere & prodere, in quo sunt omnes thesauri diuitiarum. *Quid vultis mihi dare,* inquit, *& ego vobis eum tradam?* Maluit carere Deo, quàm triginta argenteis. Quan-

Sueton. in Domitiano.

Matth. 26, 15.

ta hæc est egestas non bonæ monetæ, sed bonæ voluntatis? Hi tales omnes sanè calamitosi sunt, & deplorandi; sed non facit eos tales paupertas, voluntas facit, quæ si recta esset paupertate rectè vterentur, vt bonas artes, quibus ad diuitias peruenitur, & discerent, & factitarent.

## §. V.

### *Altera classis patienter paupertatem tolerantium.*

Altera classis vehit eos, quibus cùm nihil desit, perinde est, abundare, & penuriam pati. Altè enim animo impresserunt illud:

Psal. 61. 11. *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Hæc paupertas non in rebus, sed in animi virtute sita, meritò *aurea* vocatur; quia *beati pauperes spiritu.* Cur beati? spe, Matth. 5. *quia ipsorum est regnum cælorum:* immò & re, quia talibus nihil accidit, quod eos contristet. Si dat diuitias Deus, accipiunt, & gratias agunt; si aufert rursus, bene contenti sunt; immò læti sunt; & hoc ipso adhuc diuites sunt. Vel Epicuro fatente, *Honesta res est, læta paupertas. Illa verò non est paupertas, si læta est. Cui enim cum paupertate benè conuenit, dives est,* inquit Seneca. Ita

Senec. ep. 2.

con-

constitutos esse omnes oportet, qui animo volunt esse tranquillo. Quisquis enim non potest æquè paupertatem ferre, atque opes possidere, semper in metu hæret, ne per vim aut fraudem amittat illud, in quo pacem mentis collocauit. Cui autem perinde est, vel habere, vel carere, tamquam rupes quædam immota stat, procellis vndique allisis & fractis, & circumlatrantibus duntaxat. Eiuscemodi rupes fuit ille, qui vndique & vndique dispoliatus dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis; neque stultum quid contra Deum locutus est.* Potest ergo aliquis fieri pauper, & non peccare; potest aliquid amittere, & nihil stultum contra Deum loqui. Quare non paupertas, sed improbitas, aut cupiditas, in caussa est, si quis ad inopiam redactus, aut re aliqua priuatus insanit, quemadmodum, superiùs vidimus, Antonium Vrceum Codrum, Grammaticum, amisso per incendium libro, insaniuisse. Iob. 1, 21.

## §. VII.

*Ad vtrumq; parati, & contenti exemplum.*

Ac

Ac ne Iobum tantùm, grande illud patientiæ miraculum, adduci in exemplum posse existimemus, sunt alij complures, quibus perinde fuit, siue aliquid daretur, siue auferretur. Historia est insignis, quam, quia etiam pauperes, ac Religiosos præsertim, non lædendos esse docet, è Venerabili Beda, prolixiùs transcribam. *Fuit homo quidam diues*, inquit, *& honorabilis, in regionibus Orientalium, cui nomen erat Daire: quẽ rogans S. Patritius petijt ab eo, vt aliquem locum daret ei, vbi monasterium construeret, & sanctæ Conuersationis religiosè viuentibus mansionẽ præpararet. Respondit diues ille dicens ad S. Patritium, Ecce terra coram te est. Dic ergo mihi, quem locum desideres ad inhabitandum? Peto, inquit S. Patritius, vt illam altitudinem terræ, quæ nominatur Saileg, dones mihi ad inhabitandum, vt construam ibi locum ad cultum diuinum. At ille noluit dare S. Viro terram altam quam petierat, sed dedit illi locum alium in inferiori terra, & habitauit ibi S. Patritius cum suis. Post alioquot dies venit Eques Dairi diuitis præfati, ducens equum Domini sui satis opimum, vt pasceretur in herboso loco Christianorum, & offendit Patricium talis depastio equi in loco suo, dixitq; stultè fecit Daire mittens*

Beda lib. 2. de vita S. Patritij.

*anima-*

animalia bruta turbare locum paruum, quem obtulit Deo. At verò eques non attendit ista verba, sed dimisso ibi equo nocte illa discessit: Crastina verò die veniens videre equum, inuenit eum iam mortuum, reversusq; ad dominum suum cum festinatione dixit ei: Ecce Christianus ille occidit equum tuum: offendit enim illum turbatio loci sui. Et dixit Daire seruis suis: dignus est morte iste homo, qui reddidit nobis malum pro bono, ergo occidite eum. Euntibus verò seruis ad interficiendum eum dicto citiùs repentina mors irruit super Daire. Dixitq; vxor sua; causâ Christiani est hæc mors. Eat quis citò & portentur ei beneficia nostra, & renocentur, qui exierunt occidere eum. Exeuntes ergo duo Viri ad sanctum Patritium dixerunt ei, Ecce infirmatur Daire, portetur illi aliquid à te, si fortè sanari possit. Sanctus autem Patritius, sciens quæ facta sunt, benedixit aquam, & dedit eis dicens: Ite & aspergite dominum vestrum, & equum eius hac aquâ. Et fecerunt sicut præcepit eis sanctus vir, sanatusq; est Daire, & reuixit equus eius aspersione aquæ sanctæ. Venit ergo Daire vt honoraret sanctum Patritium portans secum aneum scyphum mirabilem ac pretiosum capientem metretas ternas, dixitq; Daire ad S. Patritium, Ecce hic aneus sit

tecum

tecum ob memoriam meam. Et ait ei S. Patritius Grazagam. Reuersus autem Daire domũ dixit ad suos, stultus est homo, qui nihil aliud mihi respondit, cùm darem ei aneum vas pretiosum, prater solum verbum Grazagam. Addidit q; Daire dicens militibus suis. Ite reportare nobis aneum nostrum, quia ingratè accepit eum homo ille. Venerunt itaq; ministri Dairi, & dixerunt Patritio: Misit nos Dominus noster vt reportemus ei aneum suum, quia ingratè accepisti eum. Et illa vice S. Patritius nihil aliud dixit prater Grazagam. Reportantibus autem illis interrogauit Daire seruos suos dicens: quid dixit Christianus ille, quando reportastis aneum? At illi dixerunt Grazagam. Et ille respondens dixit: mirabilis est homo iste, qui nihil aliud dixit quàm Grazagam in dato, Grazagá in ablato. Vt video bonum est eius dictum Grazaga, & non malum. Reportetur ergo illi rursum aneum vas. Et remisit illi rursum scyphum argenteũ dicens ei, sit tecum aneus tuus: Constans enim & incommutabilis homo es, & verbum bonum, non malũ profers. Insuper & partem illam agri, quam olim petisti, do tibi nunc, quam meliorem habeo, vt inhabites eam. Accepit ergo S. Patritius prædium optatum, & placitum sibi, & adificauit in eo monasteria,

& ha-

*& habitationes religiosorum Virorum. In quo loco nunc ciuitas est Arithmache nominata, vbi sedes Episcopatus, & regiminis est Hyberniæ.* En quàm multum accepit Patritius, cui perinde fuit, siue ditaretur, siue spoliaretur: & quemadmodum Iob dixit; *Dominus dedit, Dominus abstulit;* ita Patritius, cùm scyphum acciperet, *Grazagam* dixit: cùm eum ammitteret, iterum *Grazagam* dixit. Vtinam hæc vox nobis in corde semper, & in ore esset, quàm parum dolere nos ostenderemus, si aliquid nobis vel amicus, vel hostilis miles auferret? *Grazaga* enim, si bene conijcio, aliud nihil fuit, quàm *Gratias ago*, quod linguæ Latinæ non bene gnari *Grazagam* se audiuisse putauerunt. Itaque qui nouit penuriam & abundantiam esse à Deo, libenter vult ex eorum esse censu, qui Patritium imitantur, *gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri IESV Christi, Deo & Patri. Magnus ille est, ait Philosophus, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodũ argento: nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi est animi, Pati non posse diuitias:* fortis, inopiam æquè, ac opes sustinere. Ephes. 5. 20.

§. VII.

## §. VII.

*Ad vtramq; fortunam parati virtus.*

Ad hanc indifferentiam respexit & Psalmus illis verbis: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* S. Aug. in sup. Psal. 61. *Ille igitur*, inquit S. Augustinus, *qui non habet, non ambiat; is qui habet, non superbiat. Et non dicit, nolite habere, sed cor apponere. Non enim damnat diuitias, sed cor appositum, quod scilicet non expendit, sed recondit.* Vtrumque igitur licet bene agere, & Croesum & Irum. *Oportet*, inquit Teles Pythagoricus, *sicut bonum histrionem, quamcumq; personam pœta imposuerit, eam decorè exsequi & sustinere: sic & bonum virum quamcunq; fortuna dederit. Nam & hæc*, ait Bion, *velut pœtria, aliquando primi, aliquando vltimi actoris personam imponit, est & cùm Regis & aliàs mendici.* Et Zeno pronunciauit, esse Laërt. in Zenone. *nouo histrioni simile sapientem, qui siue Therſitæ, siue Agamemnonis personam acceperit, vtramque decenter exprimit & imitatur.* Sed multò magis sapiens Christianus, nam cùm nihil magis æstimet, quàm Deum, credatque, quidquid Deus vult, non posse esse nisi æquissimum, sanctissimum, optimum, vtilissimum, ita suam voluntatem cum diuina coniungit, vnit, conformat, vt quàm primum

mùm aliquid Deum velle, intelligit, illico & ipse velit; dicatque: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Quòd si sensus se opponit, & inferior homo contrarium suggerit, illico subiungit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 6. 10. Matth. 26. 39.

## §. VIII.

### *Tertia classis paupertatem diuitijs antepo-nentium.*

Tertia denique classis eos habet, qui paupertatem sponte diuitijs prætulerunt, tamquam ad benè viuendum longè accommodatiorem. Quod quidem etiam Philosophi Ethnicorum feciſſe leguntur. Epictetus patria Hieropolitanus, quàm pauper fuit, tam dijs & Philosophiæ se se amicum judicauit. Anaxagoras Clazomenius, sæpe dicebat: *Nemo simul & virtutes, & diuitias possidere potest.* Quamobrem amplum patrimonium suis sponte conceſſit, pauperque studijs adhæsit, Laërtio teste. Qui etiam testatur Socratem pauperem semper fuisse, sordidoq; palliolo contentum, nudis pedibus inceſſisse. Plato certè, vt Suidas refert, solum in Academia tenuit hortum, qui pars minima fuit eorum, qui illi succeſſerunt. Hortus enim tres aureos numos pendebat:

debat: omnis autem prouentus pòst, mille, aut plurium fuit. Democritus Abderites, nihil præter ingenium possedit: vel quia noluit, vel quia non debuit. Demonax Philosophus, qui floruit Adriano imperante, nullum vmquã viaticum sibi præparauit: sed cùm esuriret, in proximam domum, quam aptam videbat, ingrediebatur, & victum ibi quæritabat. Centenarius decessit, elatus publico sumtu, vt testatur Volaterranus. Diogenes Cynicus solitus est ioco dicere, sibi tragicas execrationes contigisse, quòd esset ἀνέστιος, ἄπολις, ἄπατρις, πλωχὸς, ἀλήτης, καὶ ἡμερόβιος: id est, *domo, ciuitate, patriáq; carens, pauper, erro, & in diem viuens. Hæc atq; hoc genus alia partim cùm audiret à Diogene Crates, alia sibimet ipse suggereret, denicq; in forũ exilit, rem familiarem abiicit, velut onus stercoris, magis labori, quàm vsui. Dein cœtu facto maximo exclamat: Crates, inquit, Cratetem manu mittit. Exinde non modò solus, verùm nudus & liber omnium, quoad vixit, beatè vixit.* His omnibus vsque adeò paupertas mala non fuit, vt etiam bona videretur. *Si vis scire, quàm nihil in illa mali sit,* inquit Romanus sapiens, *compara inter se pauperum & diuitum vultus. Sapius pauper,*

Sabell. lib. 8. c. 5. Volat. l. 15. Anthrop.

Laërt. l. 6.

Apul. in Florid.

Senec. ep. 80.

pauper, & fideliùs ridet: nulla sollicitudo in alto est: etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit. Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis, & suppurata tristitia: & quidem grauiore, quia interdum non licet palàm esse miseros: sed inter arumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Sæpius hoc exemplo mihi vtendum est: nec enim vllo efficaciùs exprimitur hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas malè agamus, assignat. Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit,

*En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,*
*Quà Ponto ab Helles atque ab Ionio mari*
*Vrgetur Isthmos:*

Seruus est, quinque modios accipit, & quinque denarios. Ille qui superbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait,

*Quòd nisi quieris, Menelae, hac dextra occides:*

diurnum accipit, in cænaculo dormit. Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum suprag̃ turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos; si despoliaueris. Equum emturus solui iubes stratum, detrahis vestimenta

*venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem inuolutum æstimas? Mangones, quidquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Itaq; ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: siue crus alligatum, siue brachium adspiceres, nudari iuberes, & ipsum tibi corpus ostendi. Vides illum Scythiæ Sarmatiæúe regem, insigni capitis decorum? si vis illum æstimare, totumq; scire, qualis sit? fasciam solue. Multum mali sub illa latet. Quid de alijs loquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipsum considera. Nunc qualis sis, alijs credis.* Hæc ille. cui, sicut & ceteris recensitis, magis vtique placet penuria, quàm abundantia. Et hoc ob animi pacem, quæ ibi maior est, vbipecunia est minor.

## §. IX.

### *Qui paupertatem putent etiam esse gloriosam?*

Christus Seruator, & Christiani, ob longè altiores causas, diuitijs paupertatem antepositerunt, suo loco indicandas. Hîc sufficit illud apponere, quod Ethnicis paupertatem, adeoque & vilitatem Christiano gregi obijcientibus, M. Minutius Felix respondit. *Ceterùm, quòd plerique pauperes dicimur,*

M. Minut. Fel. in Octauio.

*mur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus enim vt luxu soluitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues est? Magis pauper ille est, qui cùm multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quàm natus est. Aues sine patrimonio viuunt, & in diem pascua pascuntur: & hæc nobis tamen nata sunt: quæ omnia si non concupiscimus, possidemus. Igitur, vt qui viam terit, eò felicior, quò leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi, qui paupertate se subleuat, non sub diuitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si vtiles putaremus, a Deo posceremus vtique. indulgere posset aliquantum, cuius est totum. Sed nos contemnere malumus opes, quàm continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse, quàm prodigos.*

## §. X.

### *Miseria eorum, qui agrè ferunt, sibi aliquid deesse, & Plutum, vt Deum, adorant.*

Ex triplici hac hominum classe, tria licet colligere. Ex prima, quia sunt qui egent, sed inuiti, eam ipsam ob caussam eos meritò egere, vt doleant, quia volunt inde dolere, vnde alij commodum accipiunt, alij

etiam sentiunt animi voluptatem. Paupertate enim alij ex virtute contenti sunt, alij etiam delectantur, auari autem cruciantur. Qui quantumcumque habeant, tamen pauperes sunt, immò miseri, quàm diu non habent, quod concupiscunt. Vis exemplum?

3. Reg. 21. 1. *Vinea erat Naboth Iezrahelitæ, qui erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samariæ. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, daboq; tibi pro ea, vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et proijciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Vide mihi diuitem pauperem, vide regem egentem; vide viribus integris in lecto iacentem, vide indignantem & frendentem, nec comedentem! quid miserius hoc homine? Quid eum cruciat? paupertas? immò propria cupiditas. Habuisset satis, si quidquam

quam auaro potuisset esse satis. Fuit rex Samariæ, & eguit, quia non fuit dominus vineæ. Quid ergo Mundi Rector facere debuisset? an oportuisset innocenti Naboth nihil dare, regi omnia? Achab accepit regnum, & contentus non fuit, quia non accepit etiam olerum hortum. Naboth caruit regno, contentus horto, quis dignus fuit hortum habere? nonné ille, qui paruo contentus fuit? Apud Laërtium Socrates quòsdam hospites tenui cœna excepit, quærenti cur ita feciſſet, respondit: *Si boni sunt, æquanimiter ferent, si mali, non est curandum;* neque enim vel hoc ipso digni sunt, quo eos excepi. Ita Deus, quibus moderatas in hoc mundo tribuit opes, si boni sunt, tribuit sufficientes, aiunt enim, *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus:* sin autem mali sunt, non est curandum; quia nec digni sunt, qui communem aërem hauriant, aut quos terra portet. Apparet igitur, quos non tam paupertas, quàm suamet voluntas miseros faciat; ardent enim insatiabili cupiditate, & illud sitiunt, quod alij contemnunt. Hinc paupertatem putant esse calamitatem, & Aurum adorant vt Deum, Plutumque maximum Numen arbi-

1. Tim. 6, 8.

trantur. Hinc illorum cantilena est:

Petron. Arbit. in Satyr.

*Quisquis habet nummos, secura nauiget aura,*
*Fortunamq; suo temperet imperio.*
*Vxorem ducat Danaën, ipsumq; licebit*
*Acrisium iubeat credere, quod Danaën.*
*Carmina componat, declamet, concrepet, omnes*
*Et peragat causſas, sitq; Catone prior.*
*Iurisconsultus, paret, non paret, habeto,*
*Atque esto, quidquid Seruius & Labeo.*
*Multa loquor: quiduis nummis præsentibus opta,*
*Et veniet: clausum possidet arca Iouem.*

§. XI.

*Paupertatem & diuitias in vtramq; partem, hoc est, bene & malè posse adhiberi.*

Ex altera hominum classe colligo, paupertatem, seu orbitatem rerum esse calamo, aut penicillo, aut cuiuis instrumento similem. Qualis is est, qui eo vtitur, tale opus producit. Da calamum puero, & tales characteres formabit, quales gallina scalpit in arenis. Si scriba peritus calamū ducat, litteras dabit Iouis tabellâ dignas. Penicillum porrige ei qui chiragrâ laborat, ex Gratijs Furias faciet; Apelles autem aliquis, & qui manum

manum habet sanam, ipsas Furias ita ad vivum exprimet, vt iures eis omnes Gratias Veneresque inesse. Ita ad eamdem lyram, si asinus veniat, & Apollo, quàm diuersam musicam audies? Tale instrumentum est paupertas, ea si cupido, si improbo, si impatienti obueniat, erit illi occasio omnium vitiorum; quemadmodum & diuitiæ esse solent. Quòd si verò animus moderatus vel diuitias acquirat, vel inopiam patiatur, quàm bene alterutris vtetur? inopia quidē, quia tamquam spiritu pauper, non dolebit, argento amisso: diuitijs autem, quia illis cor non apponit. Itaq; vt per scalas alij ascendunt, descendunt alij, ita per opes & inopiam, alijs via est ad cælum, alijs ad Orcum. Quemadmodum enim nihil refert, vtrum hominem ægrum in sella lignea, an aurea portes: quocumq; illum transtuleris, morbum suum secum aufert: ita nihil refert, vtrum æger animus in diuitijs sit, vel in paupertate; malum suum semper illum sequitur. Qui malus est, in inopia furatur: in abundantia prædatur; deijcitur in egestate; inter thesauros insolescit. Bonus, si abundat, pauperibus donat; si perdidit omnia, nomen Domini benedicit, aitque se nunc

expeditiùs ire ad cælum. Sapienter Socrates diuitias, aiebat, in manu improbi, esse velut gladium in manu phrenetici, cui gladius ad nihil seruit, nisi & in propriam perniciem, & in exitium aliorum; ita enim opes si sunt in manu hominis mali, ad vindictam, ad luxum & luxuriam, ad comessationes & compotationes, ad mille vanitates illi sunt adiumentum: ast in manu Deum timentis, & pij, ad eleemosynas, ad liberalitatem exercendam, ad omnia opera præclara seruiunt. Ad eumdem quoq; modum paupertas bonis fit bona, mala malis; non quòd ipsa mala, sed quia illius vsus aliò trahitur, quàm à Deo destinatur. Similis est ergo aquæ Ægyptiorum, quæ, vt Iosephus tradit, in manu quidem Israëlitarum aqua munda; at si quis eam Ægyptius hausisset, fœdus sanguis fuit. Ad eumdē modum paupertas, apud homines frugi & gnauos, limpida est, & virtutum parens; apud ignauos vertitur in sanguinem peccatorum. Quàm benè paupertate sua vsus est Lazarus? quàm præclarè & paupertate, & diuitijs Iob? cùm egeret, patientia; cùm abundaret, conspicuus fuit liberalitate, vt dicere auderet:

Exod. 7.

Iob. 29. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum,*

*perum.* Itaque vt vino alij sanantur, alij ad insaniam redigantur; sic diuitijs & inopiâ nonnulli exorbitant, nonnulli excitantur ad virtutem amplexandam.

§. XII.

*Cur quidam voluntariam paupertatem eligant?*

Tertia classis *voluntariæ frugalitatis*, vt eam veteres philosophi vocabant, seu paupertatis, monstrat, etsi tam copia, quàm inopia res sit quædam ex se indifferens, qua bene, vel malè vti possunt mortales, longè tamen difficilius esse, modum tenere in diuitijs, quàm in paupertate, ac proinde diuites proniùs virtutem exuere, pauperes constantiùs retinere. Hinc sapientiores plerumque sese opibus sponte abdicârunt, quas scaphæ similes sunt arbitrati. Scapham qui flumini imponit, & aquæ decurrenti permittit, facili negotio, ipsius aquæ ductu ad mare vsque descendet. Quòd si autem contra fluminis impetum eam sursum propellere, & ad caput nauigare fontemq; velit, poterit quidem, sed non æquè facilè, quia ratis conto subigenda, laborandũ, & sudandum est. Nummi, & opes talis scapha sunt, quas si in eum cursum, quem modò

dò Mundi res habent, diuitias tuas ducere velis, citò, & absque labore, diuitiæ te in amarum damnationis æternæ mare perue-hent: at si, contra Mundi cursum, & consuetissimos mores, opes tuas in cælum præmittere, & tibi amicos de mammona iniquitatis facere conaris, poteris quidem ad cælum contra Mundi impetum, etiam per opes, vehi; sed aliquid, immò multum difficultatis senties, & contra torrentem nitendum erit. Hoc cùm viderent, qui aliquid supra vulgus viderunt, etsi scirent etiam diuitias posse esse innoxias, immò posse esse instrumentum, quo cæli portæ reserantur, haud tamen ignorârunt annexam ijs difficultatem, consuetudinemque hominum communem, & illecebras, quæ quia à paupertate procul sunt, ideò illam diuitijs præposuerunt, tutioraque elegerunt. At quia difficile est opes contemnere, & thesauro præferre paupertatem; cùm tamen in hoc cardo rei versetur, (nemo enim de paupertate queretur, si eam diuitijs præstantiorem iudicabit) age inquisitiùs hæc duo inter se collata dispiciamus, vt, si constet, diuites esse miseriores, pauperes autem longè feliciores, miserijs veris, veram discamus

præpo-

præponere felicitatem. Neque enim aurum, aut opes sunt homini ad vitam necessariæ, etsi ei prodesse & obesse possint, sicut illa de quibus Beda ait: *Qui sunt tres amici & inimici sine quibus viuere nemo potest? Ignis, aqua, & ferrum.* Aurum amicum est & inimicum, sed sine eo multi vixerunt, viuunt, viuent.

Beda in Collectaneis PP.

## CAPVT III.

### *Vel ex Ethnicorum doctrina, paupertatem diuitijs esse anteponendum.*

### §. I.

*Pauperis ad Saturnum supplicatio, de rerum æqualitate inducenda.*

AVREVM Saturni sæculum, aut vitam, qualis in Paradiso agebatur, optimam lætissimamque fuisse, vel Poëtæ cecinerunt. In cuius vitæ memoriam Romani veteres Saturnalia instituerunt, quibus & ipsi serui conuiuantes, dominis pares essent. Ad hoc festum igitur ritè celebrandum, cùm aliquando pauperes viderent se neque nummatos esse satis, neque à ditioribus iuuari, eorum quispiam hanc epistolam ad Saturnum fingitur misisse

Vide Lipsium de Saturnalibus.

Lucian. ep. 1. Saturnali.

misisse. *Equidem & antea tibi scripsi, significans quonam in statu essem, & quemadmodum ob inopiam mihi periculum esset, ne solus omniũ expers relinquerer solennitatis, quam indixisti. Addidi & illud (nam memini) iniquissimum esse, si nostrũm alij opibus ac delicijs superfluerent, nihil ex suis facultatibus impertientes pauperioribus, alij rursum fame contabescerent, atque id quidem instantibus Saturnalibus. Verùm quoniam tum ad meas litteras nihil respondisti, operæ pretium existimaui, te denuo ijsdem de rebus commonefacere. Tuum erat, optime Saturne, sublata hac rerum inæqualitate, bonisq; in medio depositis, postea celebrandum festum edicere. Nam vti nunc res habent, formica camelus, quemadmodum aiunt prouerbio. Quin magis tragœdiæ histrionem animo concipe, qui altero pede prælatis cothurnis sublimis insistat, cuiusmodi sunt tragica calceamenta, altero verò sit incalceatus. Is si ad hunc modum instructus ingrediatur, vides necessariò futurum, vt nunc excelsus sit, nunc humilis, prout hunc, aut illum pedem vicissim promouerit. Nec minor est in vita nostra inæqualitas, dum illi cothurnis fulti adornante fortuna tragœdias in nos agunt. Contrà magna pars pedibus atque humi ingredimur, quum & ipsi, scias velim, nihilo de-*

*terius*

terius illis fabulam agere poßimus atque ingredi, ſi quis nos quoq; ad eumdem iuſtum modum adornârit. Atqui ex poëtis audio nihil harum rerum inter homines fuiſſe olim, quum tu ſolus adhuc imperium teneres, verùm tellus illis citra ſerendi arandiq; laborem bona progignebat, cœnam vnicuique paratam, vel ad ſatietatem vſque. Porrò flumina partim vinum, partim lac, erant autem & qua mel manabant. Quodq; eſt omnium maximum, aiunt illos ipſos homines aureos fuiſſe, caterùm paupertatem procul ab illis abfuiſſe. Nos contrà non ſatis idonei ſumus, qui vel plumbum videri poßimus, aut ſi quid etiam plumbo vilius, vt quorum pleriſque victus labore quæritur, ac paßim paupertas, egeſtas ac deſperatio, & illud: Hei mihi, &, vnde inueniam? &, O fortunam atque id genus alia permulta, apud nos nempe pauperes abundant: quamquam his de rebus leniùs diſcruciaremur, niſi diuites videremus tanta fruentes felicitate, qui quidem quum tantum auri, tantum argenti conditum habeant, tantum veſtium poßideant, tot mancipia, tot currus, familias, agros atque harum rerum omnium magnam vim teneant, tamen adeò nobis nihil vmquam, de eis impertiunt, vt plebeios homines, ne aſpectu quidem dignentur. Hæc, inquam, ſunt Saturne,

ne, qua nos enecant maximè, planeq3 rem intolerandam arbitramur, hunc in purpura accumbentem tantis opum delicijs affluere, ructantem interim & applaudentibus amicis perpetuò festum diem agere: me verò, meiq3 similes somniorũ coniecturas interpretari, sicunde fortè quatuor oboli contingant, quò videlicet pane, polentáue expleti dormire queamus, nasturtium aut porrum cepasue, alliumue opsonij vice arrodentes. Aut hæc igitur, Saturne, ad æquabilitatem vitæ mutes corrigasq3 necesse est, aut, quod est postremum, illis ipsis interdicas diuitibus, ne soli bonis fruantur, verùm è modijs auri tam multis vel heminam in omneis nos dispergant. Porrò ex vestibus, si quas iam à tineis exesas, citra suum incommodum dare possint, malintq3 hæc prorsus vetustate situq3 peritura nobis dare, qui induamur, quàm sinere, vt in cubilibus ac scrinijs multa carie computrescant. Præterea vt cœnent singuli nunc quaternis, nunc quinis pauperibus ad conuiuium adhibitis. Haud isto quidem pacto, quo his temporibus conuiuia peraguntur, verùm populariùs, vt æqua sit omnium portio; neque vt hic opsonijs ingurgitet sese, famulo interim adstante atq3 opperiente, donec herus vorando præfocetur. Cæterùm vbi ad nos venerit, quum vix etiã apparauerimus admouere manum,

manum, protinus ad alios transferatur patina, tantum ostensa, vel si quid de placenta reliquum est. Neque illatum aprum ita partiatur, vt domino totum dimidium apponat, vna cum capite, reliquis autem ossa tecta apponat. Vtq3 præmoneantur pincernæ, ne contentur, donec vnusquisq3 nostrum septies poscat bibere, sed semel iussi protinus infundant, & ingentem calicem impletum tradant æquè atque ipsi domino, vtq3 vnum & idem vinū conuiuis sit omnibus. Alioqui vbinam ista lex scripta fuit, aut receptus mos, vt hic vino odorato generosoq3 temulentus sit, mihi contrà musto disrumpatur aluus? Hæc si correxeris, nouarisq3 Saturne, tum demum effeceris, vt vita verè vita sit, festum verè festum; sin minùs, illi quidem epulentur, nos autem interim sedentes precabimur, vt simul atq3 loti venerint, puer subuersam amphoram rumpat, vtq3 coquus jus adurat, ac per obliuionem muriam piscium in lentem infundat, vtq3 canis in domum irruens opsoniorum artificibus alibi intentis exta deuoret vniuersa, præterea placentæ dimidium. Vtq3 sus ac ceruus neque non sucula inter assandum idem faciant quod Homerus de Solis bobus commemorat: immò vti non serpant solùm, verùm etiam vnà cum ipsis verubus in montem abripiant sese, fugiantq3.

*vtq; ipsæ etiam aues pingues iam ademptis plumis & ad coquendum apparatæ volatu aufugiant, ne soli illis fruantur: quodq; futurum est illis grauissimum, vt formicæ tales, quales feruntur Indicæ, aurum è thesauris effossum, noctu in publicum efferant: vtq; vestis curatorum indiligentiâ ita ab optimis muribus perforetur, vt cribrum videri possit, nihilq; differat à casse venatorio, vtq; formosi illorum comatiq; puelli (quos Hyacinthos, aut Achilles, aut Narcissos appellare solent) dum ipsis poculum porrigunt, subitò defluente coma calui fiant, & acutam edant barbam, cuiusmodi in comœdijs induci solent Sphenopogones, quibus à cuneata barba nomen inuentum est, vtq; vertex illis asperis ac pungentibus pilis sit hirtus, reliqua capitis parte nuda. Hæc atq; his etiam plura illis imprecabimur, nisi desinant vsq; adeò suis priuatim studere commodis, velintq; in commune diuitis esse, nobis quoque, quantum æquum est, impartientes.* Hæc ad Saturnum pauperculus quidam de famelica hominum natione scripsisse, contra diuites auaros, fingitur, ad inducendam quamdã bonorum omnium æqualitatem, de qua veteres Philosophi sæpe disputauerunt.

§. II,

## §. II.

### *Longè meliorem esse pauperum, quàm diuitum conditionem.*

Ad hanc epistolam fertur respondisse Saturnus, bonorum de nouo partiendi potestatem, ad se ampliùs non pertinere, sed regnum suum non nisi ad taxillos vsque, saltationes, cantiones & ebrietatem, & quidem per septem duntaxat dies, se extendere. Iouis esse negotium statuere de tollenda rerum inæqualitate, vtq; ex æquo omnes aut opibus abundent, aut egeant. Mentem mandatumque suum esse, vt diuites de cœnis, deque auri hemina, neque non de vestibus etiam pauperibus ad celebrandum festum nonnihil mittant. Ceterùm pauperes longè falli, neque rectè iudicare de diuitibus, cùm illos felices arbitrentur, solosque suauem vitam viuere, propterea quòd illis liceat opiparè cœnare, vino suaui inebriari, vestibus vti delicatis: verùm istam felicitatem cuiusmodi sit, ignorare; siquidem hæ res eos curis non mediocriter distorqueant; cogi enim eos vt singulis inuigilent; ne quid rerum domesticarum dispensator fraudet, aut clanculum suffuretur, ne vinum acescat, ne frumentum vermibus corrumpatur, ne

Apud Luc ep. 2. Saturnali.

latro tollat pocula, ne populus credat calu-
mniatoribus, si talem dixerint affectare re-
gnum. Ad hæc, si nossent pauperes metus
& curas, quibus obnoxij sunt diuites, plane
fugiendas sibi esse diuitias existimaturos.
Quod nisi ita esset, Saturnum non vsque ad-
eò insanum fore, vt, si præclara res esset
opulentia, aut regnum, depositurus hæc
alijsque ea cessurus fuisset, patereturque, vt
nunc priuatus alieno pareret imperio. Igi-
tur potiùs se, cùm non esset ignarus huius
modi malorum, quæ plurima diuitibus at
regibus necesse est adesse, imperium sapien-
ter deposuisse. Addit postea commoda di-
uitum, quæ pauper magna existimet, non
esse commoda. Verum quidem esse, diuites
apris, & placentis expleri, pauperes autem
nasturtium porrumué, aut cepe per festi
tempus, opsonij loco, arrodere; idque illis
dulce, his insuaue esse, sed id intra breue
tempus inuerti; cùm pauperibus deinde
non accidat, vt postridie surgant capitis do-
lore grauati, ob temulentiam, quemadmo-
dum diuites, neque ob immodicam ingur-
gitationem graueolentem & acrem spiritu
ructare pauperes, neq; facilè sibi vel tabem
vel tussim, vel morbum intercutem, ex in-
tempe-

temperato voluptatum vſu colligere. Paucos autem videri diuites, qui non planè palleant, ac faciem cadaueroſam præ ſe ferant; paucos, qui cùm ad ſenectutem peruenerint, ſuiſmet pedibus ingrediantur, ac non potiùs à quatuor baiulis geſtentur: foris quidem totos eos eſſe aureos, intus autem putres ac pannoſos, cuiuſmodi ſunt tragica indumenta, ex pannis admodum vilibus conſarcinata. Enimuerò ipſis quoque opulentis non dulce eſſe, quotidie ſupraque ſatietatem pretioſis veſci; ſed guſtûs variandi cauſſa nonnumquam ita olus ac lupinum appetere, vti pauper non æquè appetat leporem, aut aprum. Eſſe præterea illis mille cruces à filijs, ab vxore, à famulis, & vnde non? quæ omnia pauperes cùm ignorent, tantùm aurum ac diuitum purpuram aſpiciant; &, ſi quando vident eos albo prouehi curru, inhient & adorent. Quòd ſi illos contemnerent, negligerentque, neque ad argenteum currum oculos haberent intentos, neque inter colloquendum ſmaragdum annulo incluſum reſpectarent, neque veſtes obiter contrectantes molliciem admirarentur, ſed ſinerent eos ipſos ſibi diuites eſſe, haud dubium futurum eſſe, vt

ipsi egenos vltro adirent, ad cœnam rogarent, nimirum vt illis ostendere possent lectos, mensas, ac pocula. Quarum rerum nulla sit vtilitas, si sine teste possideantur. Certè hæc talia pleraque à diuitibus pauperum caussa parari, non vt vtantur ipsi, sed vti ea pauperes admirentur. Hucusque Saturnus apud Lucianum ad pauperes, qui hanc addit denique coronidem: *Hæc ad consolandos vos scribo vtramque vitam cognitam habens. Conuenitq; ita festum agere, vt cogitetis, omnibus breui decedendum è vita, & illis, depositis opibus, & vobis relicta paupertate.*

## §. III.

### *Ex Aristidæ aliorumq; sententia paupertatem diuitijs antistare.*

His talibus argumentis solabantur pauperes philosophi fabulantes, eademque erat ratio, vt opinor, Aristidæ, qui multò iustiùs se paupertate gloriari posse credidit, quàm Calliam Athenienſium ducem opum amplitudine & copia: nemini eam rem indecoram esse dictitans, nisi qui paupertatem inuitus ferret. Nemo profectò sapiens vel alij suaderet, vel ipse diuitias abijceret, nisi manifestò videret, pauperibus melius esse, quàm Midis illis, quibus dum omnia in aurum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum vertuntur, esuriunt & sitim patiuntur. Neque enim aut pro vino, aut pro culina audent nummos expendere. Itaque & alij sapientes, vt diuitijs demerent supercilium, paupertatem permulcere maluerunt. *Putemus nos ad concionem vocatos*, ait Seneca. *Lex de abolendis diuitijs fertur, his interrogationibus suasuri, aut dissuasuri sumus? his effecturi, vt populus Romanus paupertatem, fundamentum, & caussam imperij sui requirat ac laudet? diuitias autem suas timeat? vt cogitet has se apud victos reperisse? Hinc ambitum, & largitiones, & tumultus in vrbem sanctissimam temperantissimamq; irrupisse? nimis luxuriosè ostentari gentium spolia? quòd vnus populus eripuerit omnibus, facilius vni ab omnibus eripi posse? Hæc satius est suadere, & expugnare affectus, non circumscribere.* Senec. ep. 87.

## §. IV.

### *Paupertas libertatis socia.*

Eâdem viâ homines duxit idem philosophus ad veram libertatem, cùm scriberet: *Quidquid facere te potest bonum, tecum est. Quid tibi opus est, vt sis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quàm eripere te huic seruituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoq; conditionis extremæ, & in his sordibus natæ,* Idem ep. 80.

*omni modo exuere conantur? peculium suum, quod comparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant: tu non concupiſces quanticumque ad libertatem peruenire, qui te putas in illa natum?* Itaque multi, pecunias proiecerunt, vt emerent libertatem, immò vt pro ea felicitatem recuperarent. *Pheraulas*, inquit Xenophon, *ex paupere diues à Cyro factus, deſiderio tandem priſtinæ tranquillitatis & quietis affectus, & curarum ac moleſtiarum, quas ſibi diuitias importaſſe querebatur, multitudine offenſus, omnium bonorum ſuorum poſſeſſionem in Sacam transfert, hoc ſibi tantùm excipiens, vt ab eo tamquam hoſpes, atque etiam parciùs minuſq; eleganter, ac ſumtuosè, quàm hoſpes alatur.* Huic pares multos paulò pòſt referemus, qui Codri, quàm Crœſi eſſe maluerunt, &, quemadmodũ Euripides dixit, *ſe malle ter ſub clypeo conſiſtere, quàm párere ſemel*, ter maluerunt mendicare, quàm ſemel imperare, quia, vt Claudianus ait:

Xenoph. l. 8. Cyriped.

*Viuitur exiguo meliùs: natura beatis*
*Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognouerit vti.*

## §. V.

### *Copia inops, & inopia copioſa.*

Hanc ob cauſſam Anacreon, accepto à Polycrate tyranno auri talento, reddidit dicens:

dicens: *Odi donum, quod vigilare facit.* Ex hac paupertate etiam Corneliam Gracchorum matrem, Campana matrona ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostendente, pronuncians ditiorem Valerius Maximus hoc epiphonema adiecit: *Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eò quidem certiùs, quàm qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu ponere? cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & huius horridior aspectus solidis, & certis bonis abundet.* Fuit eiusdem sententiæ etiam *Ptolemæus Lagi*, qui *sæpenumero apud amicos & cœnabat, & dormiebat*, teste Plutarcho. *At si quando cœnam ipse præberet, illorum vtebatur rebus commodato accipiens pocula, lectos, mensas. Nam ipse plura non possidebat, quàm quæ necessaria forent, cùm ditare, quàm ditescere magis regium esse dictitaret.* Quin ipse Epicurus, quærenti, quo modo quis ditesceret, respondit: *Non augendo opes, sed minuendo cupiditates.* Et quoniam

Valer. Max. l. 4. cap. 4.

Stobæus serm. 17.

*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,*

debet amorem nummi minuere, quisquis vult minuere cupiditatem. Quamdiu autem cupidus manet, verè diues non est. Etsi enim habeat multa, tamen ostendit, se egere multis, si cupit multa. Diuitem autem esse, non est, habere multa, sed non indigere multis. Sicut satur non est, qui adhuc sitit, aut esurit, etsi plurimum vorauerit, aut potauerit; is autem, etiamsi parum comederit, aut biberit, satur vocatur, quem nec fames vrget, nec sitis vrit: ita ille diues non est, qui quamuis multas diuitias sit consecutus, tamen plures appetit, quippe quia auri sacram famem non extinxit; ille autem, qui opes contemnit, diues est, quia habet quidquid cupit. Inde igitur felicior est, vnde ditior, & inde ditior, vnde pauperior. Et hoc est, quod diuinæ litteræ aiunt: *Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm glorioſus & indigens pane:* itemque. *Est quasi diues, cùm nihil habeat; & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Appositè D. Hieronymus: *Habeat quis multas pecuniarum facultates*, inquit, *si in eis non extollitur, pauperem; non habeat aliquid, & cupiat, & infletur, inter di-*

Prou. 12. 9.

Prou. 13. 7.

S. Hieronym. in Psal. 68.

*uites reprobos eum deputat Dominus: quia diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, aut in domo.* Quin & apud homines diuitiæ ſunt maximæ, non egere diuitijs; & ille eſt pauperior, qui pluribus eget: pauperrimus ergo, qui quàm plurima concupiſcit, quia oſtendit ſe quàm plurimis indigere. Talis autem eſt, quiſquis

*Componit opes gazis inhians,*
*Et congeſto pauper in auro eſt.*

Senec. in Herc. Furente.

## CAPVT IV.

### *Acquiſitio, poſſeſſio, amiſſio diuitiarum quantis miſeriis ſit obnoxia?*

### §. I.

### *Neſcire eos, quid appetant, qui opes appetunt.*

QVi, ex iſtorum ſententia, pauperes iudicat eſſe diuitibus feliciores, lætatur, non queritur, ſi opibus amiſſis in ſtatum incidit feliciorum; ſatisq; ſe opulentum arbitratur, qui videt ſibi nihil deeſſe. Cui autem appetendæ videntur diuitiæ, demonſtrat ſe tamquam famelicum nondum eſſe ſatiatum, illudq; ipſum, quod appetit, ſibi deeſſe profitetur; atque eam ipſam

Prou. 12, 9.

ipsam ob caussam non negat se egere. Itaq; *melior est pauper & sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigens pane*, neque enim eo, quod habet contentus est; cùm interea pauper sufficiat sibi. Hoc planè ita est, & tamē tantus mortalium numerus censet diuitias, præ paupertate, appetendas. *Et ista sententia*, ait S. Chrysostomus, *non solùm terra mariq; seruatur, sed vsque ad ipsas nubes, & sidera ascendit. Noui & ego, quòd non tam ista sententia, quàm flamma est, quæ & istum vastat orbem terrarum, & qui extinguat quidem nullus est, qui accendant verò & magis magisq; inflamment, multi sunt; omnes enim fauent huic malo, non solùm illi qui ab eo capti sunt, sed & qui nondum illuc videntur ingressi, & vnumquemq; hominem videns, siue vir ille, siue fœmina sit; seruus, aut liber, diues, aut pauper, pro viribus suis incendio huic, materiam & onera comportare, & die ac nocte in eius ministeriis vigilare. Onera dico non ligni, aut fœni: non enim talis est flamma, quæ ista consumat, sed animæ suæ & corporis, iniqua & iniusta ei opera deferunt, his enim accenditur ignis iste. Nam & ipsi diuites etiam si totum orbem esset possibile possideri à singulis, adhuc in desiderio eius arderent: pauperes verò, dum cupiunt diuitibus*

S. Chrys. homil. quòd nemo lædi-tur nisi à seipso.

diuitibus exæquari, insatiabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, & in tantum amor pecuniæ omnem animã fatigat, vt nec coniugis aut filiorum amori locum det: quibus affectibus inter homines nihil præfertur: amor autem pecuniæ omnia hæc huiusmodi deijcit, & pedibus conculcat. Ita velut fera quædam, & domina crudelis omnium possidet corda, & tyrannica dominatione deuincit, sæuit vt barbarus, feruet crudeliter vt tyrannus, debacchatur impudenter vt meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet terribilis & dira est, & tamen suauis, & amabilis hominibus videtur, & dulcior melle, cùm ipsa eis præcipitia quotidie paret. Expetitur hoc ab eis, & adhuc desideratur, & per innumeras mortes lætantur se ad eius ianuas saltem peruenisse: volutari namq; in cœno eius, tamquam sues delectantur, & vt chantari stercus eius euoluere. Quo modo ergo sanabimus mentes huiuscemodi, irrationabilia illa, quæ diximus, quæ se huiusmodi sordibus volutant? Transferri ab his non possunt, vtpote intellectu, & ratione carentia: nobis autem nunc sermo ad homines habetur, quibus intellectus inest, Superest, vt audire velint, & facilè de cœno isto poterunt liberari. Audiant ergo, quid secum ferat diuitiarum acquisitio, quid pariat eorumdem

rumdem possessio, quem dolorem relinquat illarum amissio, si appetantur, aut nimium amentur, discantq; amorem deponere, & frangere tam noxium appetitum. Multi enim etiam olim opes rem *quæsitu difficilem, custoditu anxiam, amissu flebilem* vocauêre.

Francisc. Petrarch. c. 53.

§. II.

*Mentes humanas appetitu cæcari.*

Frangetur autem inprimis, si perpendere velimus ipsum appetitum, qui cum duitiarum acquisitione coniunctus est, immò & præcedit. Cura enim nimia & intempestiuũ studium rerum temporalium voluntatem intemperanti affectu inuiscatam rapit, vt nihil non moliatur, sollicitęq; scrutetur omnia, ne ab eorum adeptione impedita voto suo excidat. Per hoc ardens desideriũ voluntas capta, etiam intellectum in rem amatam defigit, atque ad eam irrequieto motu vbilibet vestigandam, suprà quàm mediocritatis fines ferant, circumagit, idcirco exsculpuntur imprudentia iudicia, ob quæ spinosæ illæ sollicitudines inter peccata prudentiæ oppositа numerantur. Sollicitudo enim nimia rerum caducarum rationem absorbet, nimijs cogitationibus, de eiusmodi bonis acquirendis, vel conseruandis,

dis, vel non amittendis: quod est prudentiæ aduersum. Accedit, quòd effrenis amor rerum istarum etiam faciat temporalia, quæ auarus sibi tamquam fines proponit, non, qualia in se sunt, apparere, sed qualia iuxta prauum amorem dispositionemq; hominis apparent. Hinc imprudens & peruersum de rebus iudicium existit. Atque idcirco D. Chrysostomus ait, *amorem pecuniæ* euertere, seu *deijcere, & pedibus conculcare* eos affectus, *quibus inter homines nihil præfertur*, adigere ad *insatiabilem rabiem*, facere vt *insaniant & furant*, atque, vno verbo, vt ex hominibus ad alia natis, tyranni, barbari, denique feræ fiant. Qua de caussa & Aristoteles monet, homini qui prudentiam amat, cauendum esse affectum prauum, quo intellectus per consensum obtenebratur, & à formatione veri de rebus iudicij abducitur; & cæcus fit ibi, vbi se maximè putat esse oculatum. Scitè D. Laurentius scribit, hanc esse prudentiam terrenam, de qua scriptum censet illud Baruch: *Filij Agar qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ; viam autem sapientiæ nescierunt, nec commemorati sunt semitas*

Laurent. Iustin. in ligno vitæ tract. 4. cap. 5.

*semitas eius.* An non ergo ipsa hæc solicitudo mentes hominum excæcans dignam se esse, quæ horreatur, ostendit? Non sine caussa Plutum poetæ cæcum finxerunt, facit enim cæcos, qui se sinunt ab ab illo gubernari. Quapropter vtique non possunt videre, paupertatem diuitijs esse præstantiorem; quæ, teste Aristotele, *nihil ferè aliud sunt, quàm felix amentia*, immò infelix.

Aristot. 2. Rhet. cap. 16.

§. III.

*Quantus sit labor in diuitijs acquirendis?*

Hic cæcus dux homines impellit ad sectandas opes. At qualisnam est, aut certè esse solet opum acquisitio? Satis esset ad diuitiarum contemptum, quòd non sine molesto labore acquirantur, nec sine molestioribus curis custodiantur, nec sine molestissimis luctibus amittantur, sed insuper iniquitas se ijs vbique intermiscet. Quantis laboribus inquirantur, testantur inprimis omnes, quicumque agros fodiunt, arant, occant, serunt, & quisquis

Catull. de nuptijs Pelei & Thetid.

*Sole sub ardenti flauentia demetit arua:*

testantur item omnes mercenarij, operarij, opifices, & quotquot corium suunt, ligna cædunt, saxa è lapicidinis eruunt. Hi omnes *in sudore vultus sui vescuntur pane.* Subscribunt

Genes. 3. 19.

bunt omnes hominum sortes, dum laudant diuersa sequentes.

*O fortunati mercatores, grauis annis* Horat. lib 1.
*Miles ait, multo iam fractus membra* Satyr. 1.
*labore,*
*Contrà mercator, nauim iactantibus*
*Austris,*
*Militia est potior &c.*

Interim vterq; laborat, iste vt lucrum, ille vt spolium reportet. *Qui nauigant mare,* Eccli. 43. 26.
*enarrent pericula eius: & audientes auribus*
*nostris admirabimur.*

*Impiger extremos currit mercator ad Indos*
*Per mare pauperiem fugiens.*

Longum iter conficiendum est; aliena tellus adeunda; vitandi scopuli, breuia & syrtes; expectandi & superandi sæpe aduersi venti; excipiendi decumani fluctus; sustinendæ procellæ nauim quatientes; atræ nubes & horridæ suspiciendæ; imbres, nimbi, turbines reliquæque tempestates despiciendæ, non rarò etiam ex naufragio tabula arripienda; deniq; sexcentæ sunt occasiones pereundi. Tanti fit aurum. In bello autem, quod plurimi non nisi prædæ caussa amant, quis vult vigilias, famem, sitim, frigora, æstum, morbos, & mala cuncta militaria

enarrare? Quàm multi *trium nummûm causſa ſubeunt ſub falas*, vt Comicus loquitur? applicant ſcalas, conſcendunt muros, neque ſciunt, vnde contorta falarica veniat; aut vnde fulminent è mœnibus, aut turribus, aut propugnaculis tormenta. Vno verbo, hi Martij pupilli vel dandis, vel accipiendis vulneribus ſtipendia merentur, ſemper vel ſuo ſanguine cruenti, vel alieno, ſeu occidant, ſeu occidantur. Nemo mihi obijciat eos, qui domi ſeſſitantes fœnus exercent, & per vſuras, aut alios dolos fraudesque rem ſuam augent. Hi enim nec interdiu dormiunt, nec noctu quieſcunt, ſemper ſunt in ſuo calculo, ſemper computant, ſemper ſcribunt, legunt, relegunt, ſemper vigilantes ſibi ſomnia fingunt. Quid multis opus eſt? ipſum aurum, teſte S. Auguſtino, prouidens hominibus natura, *cum laboreſcit quæri, quod noluerat inueniri.* Addit paulò pòſt: *Aurum quod arumna perquirit, quod anaritia cupit, quod ſolicitudo cuſtodit: aurum materia laborum, periculum poſſidentium: aurum eneruatio virtutum; aurum malus dominus, proditor ſeruus.*

S. Aug. lib. de verb. Act. Apoſt. ſerm. 2.

## §. IV.

### *Quantis ſceleribus plerumq; diuitiæ acquirantur?*

Ne-

Neque enim sufficit in acquirendo auro esse laborem, qui tamen solus plurimos à virtute sectanda absterret, sed insuper plerumque habet auaritiam, fraudes, cædes, & meditata scelera connexa. Celebris fuit sententia Pythagoræ: *Imaginem Dei, ne geras in annulo.* Aiunt Pythagoram vel è diuinis libris, vel è diuinis viris, vel rationis ductu intellexisse, animam hominis esse imaginem Numinis; hanc ergo noluit in annulo aureo vel sculpendam, vel gerendam, sicut gemmæ in pala annuli gestantur. Quo symbolo voluit monere, ne mentem animamq; nostram auro includamus, more eorum, qui nihil aliud cogitant, nihil aliud amant, nihil aliud sitiunt, nihil aliud quærunt, & negotiantur, nisi aurum & diuitias, atque ita animam suam, imaginem Dei, captiuam tenent, auro non decorantes, sed maculantes. Huc respexit ille, qui Syllæ nescio qua de re sese iactanti dixisse legitur: *Quo modo vir bonus esse potes, qui tantas possideas opes, cùm à patre nihil tibi sit relictum?* Qui nescit flagitijs parari opes, interroget corruptores euersoresque testamentorum, examinet fures, abigeos, prædones, latrones; consideret vsurarios, mangones, & Iudæos nostrates;

Plutarch. in vita Syllæ.

& quos non? Vt pecuniæ habeantur, profligatur fides, proditur patria, amittitur cælum, venditur anima diabolo, traditur Deus Iudæo. Neque enim satis est, Iudam hoc semel fecisse, adhuc hodie reperiuntur, qui vt nummos referant, deferunt hostiam consecratam, ad recutitos, impijs cultris conuulnerandam. Quis honor, quæ honestas, qua nobilitas inesse potest auri argentiqúe sacculis, aut prædijs in hunc modum acquisitis? Et tamen quoties nobilitas non nisi his artibus comparatur?

## §. V.

### *Pessimæ artes, quibus diuitiæ atque nobilitas sæpe sunt quæsitæ.*

Quod, apud puræ Latinitatis, sed non item puræ castitatis authorem Pandalus ostendit, qui *lenocinij mercede sortitus est Comitatum, & auream bullam suæ nobilitatis posteritati* nulla virtute comparatam demonstrauit. Cuius exemplo scriptor hæc subiungit. *In nobilitate multi sunt gradus, mi Mariane; & sanè, si cuiuslibet originem quæras (sicut mea sententia fert) aut nullas nobilitates inueniat, aut admodum paucas, quæ sceleratum non habuerunt ortum. Cùm enim hos dici nobiles videamus, qui diuitijs abundant, diuitiæ vero rari*

Imperialis Secretarius in hist. de Euryalo.

*rarò virtutis sunt comites, quis non videt ortum esse nobilitatis degenerẽ? Hunc vsuræ ditarunt: illum spolia: proditiones alium: hic veneficijs ditatus est: ille adulationibus: huic adulteria lucrum præbent: nonnullis mendacia prosunt: quidam faciunt ex coniuge quæstum: quidam ex natis: plerosque homicidia iuuant. Rarus est, qui iustè diuitias congregat. Nemo fastum amplum facit, nisi qui omnes metit herbas. Congregant homines diuitias multas; nec vnde veniant, sed quàm multæ veniant, quærunt. Omnibus is versus placet:*

*Vnde habeas quærit nemo: sed oportet habere.*

*Postquam verò plena est arca, tunc nobilitas poscitur: quæ sic quæsita, nihil est aliud, quàm præmium iniquitatis.* Et paulò pòst. *Non miror aureas vestes, equos, canes, ordinem famulorum, lautas mensas, marmoreas ædes, villas, prædia, piscinas, iurisdictiones, siluas: nam hæc omnia stultus assequi potest, quem si quis nobilem dixerit, ipse fiet stultus.* Hæc de nobilitate emta, non de illis, quos virtus, aut fortitudo bellica, scientiæué nobilitauerunt. Huius enim nobilitatis origo honore digniſſima semper judicata est: empta autem nobilitas tanti facienda est,

quanti pecunia, quæ vtiq; non ornat eos, à quibus fuit, per furta, aut fraudes comparata. Quæ cùm ita sint, nonnè meritò Christus diuitias cum *spinis* comparauit, quæ & pulchritudine carent, & molestæ sunt rosas colligentibus, & denique vulnerant contrectantes. Longè sanè profundiùs aculeum imprimunt diuitiæ, quibus incautè manus injiciuntur. Vno verbo, *pauper est, qui vult esse diues;* nec rarò dum quærit pecuniam, amittit vitam. Ita memorat Ioannes Nauclerus, Anno 1198. Richardum regem Angliæ, cùm audiuisset quemdam militem Lemouicensis diœcesis in suo castro thesaurum magnum reperisse, cupiditate accensum, à vicecomite Lemouicensi, ad quem securitatis caussa confugerat, militem repetijsse. Negatus est illi miles. Quare indicto castro eum rex obsedit, thesauro potiturus. Sed neque arcem, neque militem, neque aurum cepit. Quippe cùm castrum noctes diesque quateret, rexque ipse oppugnantibus instaret, sagitta ictus interijt. Hoc habet, non thesaurum.

Matth. 13. 7.

Ioann. Naucler. Chronograph. volum. 2. Gener. 40. Anno 1198.

*Vsque adeò solus ferrum, mortemq; timere*
*Auri nescit amor.*

Lucan. lib. 3. belli ciu.

§. VI.

## §. VI.

### *Cura & solicitudo in diuitijs retinendis.*

Durus cortex est nucis, sed eum vbi fregeris, dulcem nucleum reperies. An tales sunt diuitiæ? nequaquam: cum labore, & plerumque non sine scelere acquiruntur; cum solicitudine, & rarò sine iniquitate, possidentur; cum dolore, & sæpe etiam desperatione amittuntur. Quanta sit solicitudo opes partas seruandi, testatur Horatius ita canens:

*Crescentem sequitur cura pecuniam.* Horat. lib. 3. carm. od. 14.

Ostendit in Euclione Plautus. Quantis ille senex curis & intemperijs ollam auro fartam, de loco in locum identidem transfert? quàm latebram nullam satis tutam putat? quantum oculos emissitios, vel in lusca & semicæca anumetuit? Nec sunt pauci eiuscemodi Eucliones, qui thesauros defodiunt, aut tres fores opponunt, quinque seras appendunt. Nota fuit & Propertio hæc querela. Ita enim interitum cuiusdam deflet. Plaut. in Aulul.

*Ergo sollicita tu caussa pecunia vitæ es?* Propert. l. 3. eleg. 6.
*Per te immaturum mortis adimus iter?*
*Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,*
*Semina curarum de capite orta tuo.*

Curæ hæ nonnè totius ferè vitæ tempus insumunt? neque enim cessant, opibus accumulatis, sed semper durant, immò semper crescunt, quantum ipsa pecunia crescit.

Isa. 2. 7. *Repleta est terra auro, & argento* dixit Isaias, cùm de diuitijs loqueretur. Cur dixit, terra? cur non dixit, repleti sunt homines auro & argento? Nempe fieri potest, arcas & domos hominum plenas esse diuitijs; homines verò auaros repleri, tametsi semper afferas, fieri non potest. Quàmdiu autem cupiditas manet, tam diu manet solicitudo. Quam ob rem rectè Plato auarorum corda vasi rimoso comparauit: vt enim vas confractum repleri nequit, etsi vtrumque mare in illud infundas; ita cor cupidi numquam potest diuitijs impleri, quamuis omnes auri argentiq; venas exhaurias. Talia finxerunt Poëtæ Danaidum dolia, fundo carentia, quæ casso labore noctes diesque, aquas acciperent, numquam implerentur. Tormenti hoc genus est, & in vanum laborare; accendunt enim sitim isti, non extinguunt, & velut in sacculum pertusum mittunt.

Cic. Paradoxo vlt. *Improbi & auari*, inquit Cicero, *quoniam incertas, & in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est,*

*est, cui quod haberet, esset satis; non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.*

Horat. lib. 1. Satyr. 1.

*An vigilare metu exanimem, noctesq́, dieśq́*
*Formidare malos fures, incendia, seruos,*
*Ne te compilent, fugientes: hoc iuuat? horũ*
*Semper ego optârim pauperimus esse bonorum.* &c:
*Denique sit finis quarendi, cumq́ habeas plus,*
*Pauperiem metuas minùs, & finire laborem*
*Incipias, parto quod auebas: nec facias, quod*
*Ausidius quidam, non longa est fabula, dives,*
*Vt metiretur nummos: ita sordidus, vt se*
*Non vmquam seruo meliùs vestiret: ad vsq́*
*Supremum tempus, ne se penuria victûs*
*Opprimeret, metuebat, at hunc liberta securi*
*Diuisit medium, fortissima Tyndaridarum.*

§. VII.

*Quàm miseros faciat pecunia habentes?*

Manet ergo solicitudo, & miseria, etiam post opes adeptas, immò augetur. Neque solicitudo tantùm, sed ea est natura diuitiarum, vt vel malos sequantur, vel faciant, si probos inuenerint. Aristotelis problema extat, quo quærit: Quî fiat, vt paupertas, apud probos viros, plerumq; versetur? red-

ditque eiusce rei varias causſas, inter quas est, Quòd improbi per fas nefasque malint parare diuitias, quàm cum paupertate diutinum contubernium habere: fugere proinde ab illis, quibus videatur maximorum flagitiorum occasio futura; ad illos deflectere, quos existimat sese rectè vsuros. Quò igitur tendunt opes? Nemo dixerit, eas tantùm improbis contingere, cùm & Abraham, & Iob, & Dauid diuites fuerint, & bellè dictum sit: *Diuitiæ bonis dantur, ne malæ videantur: dantur malis, ne summæ putentur: auferuntur bonis, vt probentur; malis verò, vt crucientur:* valde tamen vsitatum est, vt eos grauent, & in infernum deprimant, à quibus nimis anxiè adamantur. Quàm enim difficile est, diuitias rectè, iustè, liberaliter expendere? quàm laborioſum, eas à furibus, raptoribus, & iniurioſis defendere? quàm multa sunt maledicta, inuidiæ, odia, propter eas, sustinenda? Quot subeundæ lites? quot adeunda tribunalia? quot rogandi prætores? ipsa bella nonnè propter opes & possessiones suscipiuntur? Cur Plutum sibi à Mercurio vltrò adductum admittere noluit Timon ille? *Quoniam pridem,* inquit, *innumerabilium malorum hic mihi fuit auctor,*

Lucian. in Timone misanthropo.

*auctor, cùm me assentatoribus proderet, insidiatores in me inuitaret, conflaret odium, illecebris corrumperet, inuidiæ obnoxium redderet: deniq; cùm me adeò perfidè ac proditoriè destituerit.* Et S. quidam Pater dixit: *Aurum amplius cruciat, apud quẽ largius fuerit.* Nec cruciat tantùm, sed etiam maculat. Quamquam hoc habent diuites, quòd sicut aulæum floridum multa sordida tegit, ita apud eos, auri splendore, & nitidis titulis multæ teguntur calamitates; quæ tantò sæuiùs intus vrunt, quantò magis premuntur foris; sicut incendia diutiùs inclusa, potentiùs erupturæ. *Sudat pauper foris in opere,* ait S. Bernardus, *sed numquid anxiè diues intus in sua cogitatione laborat? Aperit ille os suum in oscitatione, aperit iste in ructatione; & interdum grauiùs iste fastidio, quàm ille inedia cruciatur.* Quid enim illi sapiat, cuius anima est amaritudine plena? Dolorem non tollit, qui vulnera sua tegit. Periculosiores sunt cicatrices, si computrescant. Nec pauci sunt tales:

S Bern. ser. 4.

*Plures nimiâ congesta pecunia curâ*
*Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census.*

Iuuen. Sat. 14.

Siquidem, teste Petrarcha, *multis mortem attule-*

Francisc. Petrarch.

de rem. vtr. Fort. cap. 53. Ant. ser. de diuit.

attulêre diuitiæ, requiem verò omnibus abstulêre. Vnde Chilon interrogatus, *Quid essent diuitiæ?* respondit: *Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio.*

Cic. lib. vlt. Tusc.

Has *cùm quis, quamuis indignus, habere possit, in bonis non numero. Quod enim est bonum, id non quiuis habere potest*, ait Tullius. Et quis ea bona vocet, quæ vrunt, & cruciant?

Senec. ep. 2.

Et tamen homines ea expetunt. *In hoc excusabiles sunt dij*, ait Seneca, *quòd ista, quæ vrunt, quæ cruciant, optantibus data sunt.*

## §. VIII.

### *In paupertate delitias maiores percipi, quàm in diuitijs.*

S. Chrys. homil. Quòd nemo lædi-tur, nisi à se ipso.

*Age ergo iam, & percontemur ab eis*, ait S. Chrysostomus, *cur expetenda videantur esse diuitiæ? Respondebunt primò, propter vitæ voluptatem, & corporis delitias, tum deinde, propter honorem, & propter officia, quæ ab hominibus diuitiarum caussa conferuntur, & quia diues facilè vlcisci potest in eos, qui iniuriam inferre tentauerint, & vt timori ceteris sit. Existimo, quòd alias, exceptis his, caussas non habeant, voluptatis dico, honoris officiorum, timoris & vltionis: nam neque sapientiorem, neque temperantiorem, neque prudentiorem, neq; clementiorem diuitiæ hominem facere possunt,*

*sunt, non deniq; sanctiorem: nusquam enim aliquando iracundum in placidum & mansuetum commutarunt, neque incontinentem continentiam docuerunt, nec voluptuosum sobrietatem, nec inuerecundum verecundiam, nec aliud virtutis genus. Quòd si virtutibus animæ nihil conferunt, nec meliorem hominem secundùm titulum virtutum reddunt, dic, quæso, quam ob caussam videantur diuitiæ expetendæ?* Singula deinde ostendit, quæ vniuersim asseruerat, nimirum potiùs morbos à diuitijs haberi, quàm voluptates; superbiam, quàm honores, dedecus quàm dignitates; vlciscendi autem potestatem potiùs caussam esse execrandi diuitias, quàm sectandi, de quibus postea locus erit agendi. Sufficiet hîc primum caput attigisse. Alibi igitur idem S. Pater ait: *Vnum est quo diuitiæ paupertatem superare videntur, quotidianis affluere delicijs, multa in conuiuijs repleri voluptate. Hoc tamen in pauperum mensa potiùs contingit, qui maiori, quàm diuites fruuntur voluptate. Et ne miremini dictum, ex ipsa rerum demonstratione manifestum fiet. Nostis quippe omnes, & hoc confitemini, quòd voluptatem in conuiuijs, non ferculorum natura, sed conuiuantium dispositio facere consueuit, vt cùm fame*

S. Chrys. 2. hom. ad pop.

fame quis mensam attingit, omni obsonio, & condimento, & innumeris ciborum illecebris, iucundiorem escam gustabit, etsi omnium vilissima sit, necessitatem verò & esuriem praueniens (quod diuites faciunt) etiam si placentas inuenerit appositas, non sentiet voluptatem, appetitu scilicet non excitato, & in hoc testes quidem vos omnes. Audiamus autem & Scripturam: Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Et certè quid dulcius fauo & melle? sed non iucundum, ait, nõ esurienti. Quid verò amaris iniucundius? sed dulcia pauperi sunt: pauperes autem cum necessitate & esurie ad cibum veniunt, diuites verò eam non expectant. Vnde legitimam & sinceram voluptatem non capiunt. Neque in cibo tantùm hoc accidit, sed etiam in potu. Sicut enim illuc esuries, supra escarum naturam, voluptatem inducit, sic & hîc sitis iucundissimum potum facere consueuit, etsi pura sit aqua, quæ bibatur. Et hoc ipsum Prophetæ dicebat: Et ex petra melle saturauit eos. Atqui hoc nusquã in scriptura lectum est, quòd eduxerit Moses mel de petra, sed tantùm aquã. quid igitur hoc? neque enim Scriptura mentitur: postquam enim sitientes, & indigentia defatigati in aquas inciderunt, ex potu voluptatem

Prou. 27. 7.

Psal. 80. 7.

tem asserere volens, mel aquam appellauit: non tamquam mutata in mel natura sed bibentium dispositione, fluentia illa melle iucundiora faciente. Vides quomodo sitis sitienti potũ suauem reddere consueuit? Multi ergo pauperes fatigati laboribus, siti ardentes, cum dicta voluptate talia cibauêre fluenta, diuites verò vinum suaue, & odorem, & omnem virtutem habens, quæ in vino optari posset, haurientes, non eam dẽ sensêre delectationem. Hoc etiam in somno fieri videas, non enim molle stratum, neque deargentatus lectus, neque quies per domum facta somnum dulcem & procliuem facere solet, sicut laborare, & lassari, & vehementer somni indigentes reclinari. Et hoc testatur rerum experientia; & ante ipsam experientiam Scripturarum sententia: delitijs enim enutritus Salomon, idem demonstrare volens dicebat: Iucundus somnus seruo, siue parum, siue multum comedat. Cur igitur addit: siue parum, siue multum comedat? Quia ambo hæc vigiliam inducere solent, indigentia & crapula, illa quidem spiritum arefaciens, & palpebras corneas reddens, nec claudi permittens; hæc verò anhelitum augens, & elidens, & multos inferens dolores: sed tantùm est laborum medicina, quòd si etiam ambo adsint, seruus dormire potest. Postquam enim Eccle. 5. 11.

seruũ

seruì tota die circumcursitant, dominis suis ministrantes, & ne minimùm quidem respirantes, sufficientem laborum & lassitudinum retributionem capiunt in dormiendo voluptatem. Et hoc Dei benignitate factum est, vt non auro & argento, sed labore & necessitate & omni disciplina emi valeant voluptates. Non sic diuitu, sed stratis mollibus iacentes sape totam noctem insomnem ducunt, & multa somniantes tali non fruuntur voluptate. Cùm ergo maiori cum voluptate pauper & comedat, & bibat, & dormiat, quare diuitia hac priuata supra ipsam paupertatem prærogatiuam habebunt?

§. IX.

*Miseram esse felicitatem, in possessione diuitiarum.*

Boët. de Consol. Philos. l. 3. pros. 8.

Chrysostomo addatur Boëtius, qui ita de opulentia philosophatur, *Diuitia quantis implicita sint malis, breuissimè monstrabo. Quid enim? pecuniamne congregare conaberis? Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? donanti supplicabis: & qui præire ceteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiámne desideras? subiectorum insidijs obnoxius periculis subiacebis. Gloriam petis? sed per aspera quaque distractus, securus esse desistis. Voluptuariam vitam degas? sed quis non spernat,*

atque

*atque abijciat vilißima fragilißimaq; rei corporis ſeruitium?* præſertim cùm illud crucem potiùs ſoleat afferre, quàmvoluptatem? vt D. Chryſoſtomus paulò priùs oſtendit, hoc ipſo pauperum conditionẽ præferens, quia illis omnia, quæ voluptatem afferunt, accidunt iucundiora. Immò & ſaniora. Ita enim ille: *Diuitibus in ſua iucunditate multa irruunt ægritudines: pauperes autem à medicorum manibus immunes ſunt. Si verò nonnumquam in imbecillitatem incidant, breui ſeipſos inſtaurant, mollitie omni liberi, & corpora habentes robuſta. Magna quidem poſſeßio paupertas ſapienter ipſam ferentibus, theſaurus, qui nequit auferri, inculpabilis poſſeßio, diuerſorium ab inſidijs tutum, & fons purißimæ ſanitatis.* Amat igitur Deus illum, cui hanc poſſeſſionem tribuit, & hunc theſaurum largitur, & illum fontem ſanitatis. At nequeunt vnà conſiſtere copia & inopia? copia autem pecuniarum bonum quoddam eſt? *Ego verò nego illud eſſe bonũ*, inquit Boëtius, *quod noceat habenti. Num id mentior? minimè inquies. Atqui diuitiæ poßidentibus perſæpe nocuerunt, cùm peßimus quiſq; aris alieni magis auidus, quidquid vſquam auri gemmarumq; eſt, ſe ſolum, qui habet, dignißimum putat. Tu*

S. Chryſ. hom. 2. ad pop.

Boët. de Conſol. Phil l. 2. prola. 5.

*igitur, qui nunc contum gladiumq; solicitus pertimescis, si vitæ huius callem vacuus viator intrasses, coram latrone securus cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam cùm adeptus fueris, securus esse desijsti!* Ac ne Christianos duntaxat ita iudicare existimes, etiam

Iuuen. sat. 14.

*Sensit Alexander testa cùm vidit in illa*
*Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui*
*Nil cuperet, quàm qui totum sibi poscere orbem,*
*Passurus gestis æquanda pericula rebus.*

D. Antonin. 2. part. Chron. tit. 10. c. 7. §. 2. Bonsign. Caccigurra lib. de tribul. c. 4.

Nam esto, quietem, honorem, voluptatem, omnia habeat, qui pecuniam habet, tamen non habet securitatem. Et tantò grauiùs, quantò securiùs periclitatur. Proficiscebatur aliquando D. Ambrosius Romam. In Hetruria diuertit ab homine admodum copioso hospitio exceptus. Hic inter colloquendū cœpit iactare diuitias, prædicare familiam, filios laudare, denique prospera omnia commemorare, ac sanè præfidenter dicere: Nihil sibi vmquam in omni vita sua aduersum accidisse; læta omnia feliciaque euenisse. Quid ibi D. Ambrosius? an hunc censuit esse felicem? Nequaquā. Sed quàm primùm

primùm audiuit ita gloriantem, abitionem parauit, hortatusq; est etiam comites suos, vt & ipsi discessum maturarent, fieri enim non posse, vt tanta rerum prosperarum affluentia exitum longè infelicissimum non sit habitura. Iussit ergo eos mox secum discedere, ne & illi vnà iræ Dei furorem experirentur. Vix pedem è tectis extulit, cùm hospes, & omnis familia, domusque tota repentino terræ hiatu absorpta est. I, voca tales felices, qui dum se inter felices felicissimos putant, inter miseros miserrimi sunt numerandi: quibus malum serò, sed simul venit.

## §. X.

### *Diuitiarum amissio luctuosa.*

Hucusque de acquisitione & possessione diuitiarum disputauimus, quæ si cum labore acquiruntur, cum solicitudine possidentur, quantum dolorem dabunt, si amittantur? Amittuntur enim; quia *omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut ex seipsis veterascunt, aut luxu dominorum suorum consumuntur, aut ab extraneis dolo vel violentia, vel calumnia diripiuntur*, ait disertissimus Pater. *Caduca nimirum hæc*, ait Valerius, *& fragilia puerilibusq; consentanea crepundijs*

S. Chrys. in cap. 6. Matth.

Valer. Max. lib. 6. 9.

*sunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso decursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaq; neq; existimari, neque dici debent bona, quæ vt inflictorum malorum amaritudine desiderium suum duplicent, propensiore fauore primò delinitos, maiore postea malorum cumulo opprimere solent.* Democritus audiens de diuitijs in vtramque partem disceptantes, omnibus hominibus perpetuam quamdam diuitiarum cupiditatem inesse dixit; *quæ si non acquisitæ fuerint, vexant; si erunt acquisitæ, solicitudine & curatquent. Amissæ verò dolores etiam adferunt haud mediocres.* Quæ si non amittuntur in vita, certè cum vita amittendæ sunt. Quippe *cum præsenti vita pariter diuitiæ dissoluuntur non migrant cum possessore, sed ipsos potiùs deserunt ante mortem.* Quod & *ipsum demonstrat* (Paulus) *dicens:* Neque in incerto diuitiarum. *Nihil enim tam infidum, quàm diuitiæ. Fugitiuus seruus est, copia diuitiarum, etsi enim innumera ipsi vincula injcias, sic etiam cum ipsis vinculis fugit, sapiùs pessulis, & foribus ipsum possiden-*

Max. ser. 12.

S. Chrys. homil. 2. ad pop.

1. Tim. 6.

*possidentes concluserunt, seruorum adhibita custodia: ille verò seruis ipsis persuadens, cum ipsis custodibus aufugit, & nihil custodia profuit. Quid hoc infidelius? Væ his, qui in multitudine diuitiarum suarum sperant. Quare, dices, væ eis? Quia, inquit, thesaurizat, & nescit cui congreguit ea. Labor ergo certus, & fructus incertus: sæpiùs inimicis laboras, & tu conficeris ærumnis, & tibi quidem peccata, possessionem verò alijs hæredibus præbuit.*

## §. XI.

## *Dolor ex amissione diuitiarum, ab exemplis Dionysij Syracus. Crassi, & Ioannis Conarij Equitis Poloni.*

Doloris huius aliquot exempla libet apponere. Quo enim animo fuisse putemus Dionysium? qui *cùm hæreditatis nomine à patre, Syracusanorum, ac panè totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatuum potens, propter inopiam, litteras pueros Corinthi docuit. Eodemq; tempore, tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortunæ crederet, magister ludi factus ex tyranno monuit.* Quid sensisse existimemus Crassum? *cui pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit; sed eidem postea inopia turpem decoctoris sugil-*

Valer. Max. l. 6. c. 9.

Idem ib.

*lationem iniunxit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venierunt. Ita quoque amara sugillatione non caruit: quia cùm egens ambularet, DIVES ab occurrentibus salutabatur.* Quòd si isti dolorem pressérunt, certè non pressit Ioannes Conarius Eques Polonus, nobili familia oriundus, de quo Cromerus hanc recenset historiam. *Circa an. Christi 1177. imperium & gubernationem regni Polonici adijt Casimirus iuuenis adolescens lusui valdè deditus, adeò quidem, vt temerè cum quouis luderet. Is ad ludendum aliquando prouocauit Equitem Poloni familia nobili, & hodieq; in eo regno præpotenti Ioannem Conarium. Assensus est regi Conarius, productaq; voluptas illa in multam noctem. Tandem vtroque in somnum ruente, conuenit inter ipsos, vt vnico fortunæ iactui, quod vterque nummorum haberet, permitterent. Victoria penes regem fuit. Conarius partim iactura nummorum, partim scommate illudentis eirregis exacerbatus palma regem in faciem percussit, & noctis ac tenebrarum beneficio euasit. Manè postridie perquisitus, & repertus, grauis Iudicum sententia ad mortem damnatur. Sed rex quam primùm interceßit, liberè confessus coram omnibus parũ peccasse Conarium, plurimùm*

Martin. Cromer. lib. 6. Chron. Pol.

*rimùm se in isto negotio. Nam primò prouocasse se Conarium ad ludendum; vrsisse deinde, in totam secum luderet summam; non quemuis in tanta nummorum iactura iræ temperare posse; se dignum pœna esse, qui suæ Maiestatis non habuerit maiorem rationem. Condonare igitur se, & plagam, & culpam Conario. Gratias insuper ei se debere, qui vna plaga sapere eum docuerit, & à leuitate in futurum reuocârit. Seriò autem se hæc dicere, vt Conarius certo sibi persuadeat argumento, fore beneficium nouum. Et cum dicto afferri iussit omne aurum, quod & posuerat ipse, & à Conario ex lucro acceperat; idq; allatum Conario in manus tradidit.* Magna hæc regis virtus fuit, & heroici pectoris exemplum; sed in Conario apparuit, quantus sit dolor, pecuniam vel per ludum atque iocum amittere. Suprà ostendimus in Antonio Vrceo Codro, quantam in mœstitiam, immò insaniam eum coniecerit, vel amissus incendio liber. Innumera sunt exempla, quæ docent, fluxa isthæc bona longè maiore cum dolore perdi, quàm labore quæri. Et subscribunt totis cateruis agminatim occurrentes viri fæminæq;, lamentantes, quòd hostilis vel flamma, vel rapina eos dispoliârit. Quibus vel hoc solatij

potest esse, quòd iam nihil debeant ampliùs metuere, quia nihil possunt ampliùs amittere.

# CAPVT. V.

## *Quanta diuitijs & vitijs inter se sit cognatio?*

### §. I.

### *Diuitijs boni bene, mali malè vtuntur.*

LAborem, curam, dolorem afferunt opes, vt dixi, non tamen ex se, sed eorum culpâ, qui laborant, curant, aut dolent. Ast *vnumquodq; non hominum, sed rerum pondere iudicandum est*, ait S. Hieronymus, *nec diuiti obsunt opes, si bene vtatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit.* Et D. Augustinus: *Vt noueritis, non pecuniam in diuite, sed auaritiam condemnari: aduertite, quod dico. Respicis in illum diuitem stantem iuxta te: & fortè in illo est pecunia, & non est auaritia; in te non est pecunia, & est auaritia.* Hæc culpabilis, & propter hanc illa vitabilis est; non quia mala, sed quia, si in malos incidit, auaritiæ sit nutrimentum. Quare sicut auaritiæ reprehensio redit in diuites, non in diuitias, ita neque in autho-

S. Hieronym. ep. ad Saluian.

S. Aug. in Psal. 51.

authorem diuitiarum; qui bona tribuit, quæ non nisi hominum abusu mala fiunt. *Itaque qui malè diuitijs vtitur*, teste S. Gregorio Nazianzeno, *miserabilis est, vt ille qui sponte se vulnerauerit eo gladio, quem ad vindictam hostium sumserat.* Accipiuntur enim opes, vt alijs opem possint mortales suppeditare; at illi in suam perniciem eas conuertunt. Hinc Chilon dicere solebat, *Quod Lydius lapis est auro, id aurum esse homini.* Lapis enim index affrictu prodit, quale sit aurũ; ipsum autem aurum arguit, quale hominis ingenium inueniat. Nimirum vt gallinæ araneis pingueſcunt; ac rursum vt scarabæi ipso oleo, quo alij viuunt, occiduntur; ita boni etiam malis bene, & mali bonis malè vtuntur. Quia verò non mala tantùm, sed etiam occasiones malorum sunt vitandæ, age etiam hoc nomine contemptum diuitiarum suadeamus. Neque enim hîc imitandus nobis est Q. Fabius Maximus, qui cùm, capto Tarento, agerentur omnia ferrenturque, interroganti scribæ, quid fieri de dijs vellet (tabulas & signa innuebat) traditur respondisse: *Deos iratos Tarentinis relinquamus*; planè qui pessimè vellet, diceret: *Aurum, & opes rem periculosam auaris relinquamus*;

Laërt. in vita Chilonis.

Plutarch. in Fabio.

Matth. 4. 8.

mus; & inimici vox est: *Hæc omnia tibi dabo, omnia* scilicet *regna mundi, & gloriam eorum.* Sed aliter Christus consulit, aliter de diuitijs loquitur, nouit enim, quam messem hæc seges ferat; seges bona; sed apud malos in lolium degenerans. Nam *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos, & desideria multa & & noxia. Non timetis? Audite quod sequitur, Quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Non times? radix est omnium malorum auaritia. Auaritia est esse velle diuitem, non jam esse diuitem. Ipsa est auaritia. Mergi non times in interitum & perditionem? Non times radicem omnium malorum auaritiam? De agro tuo extirpas radicem spinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatũ?* ait S. Augustinus. Et Chrysostomus: *Diuitiarum sequela, est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantia superba, omnisq; irrationabilis motus.* Verè Poëta pecuniam alloquitur:

S. Aug. serm. 205. de tempo.

S. Chrys. lib. Quòd nemo lædi-tur, nisi à seipso.

Propert. l. 3. & 7.

*Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,*
*Semina curarum de capite orta tuo.*

## §. II.

### *Diuitiarum pericula, & damna.*

Etsi enim bonus possit esse vsus diuitiarum,

rum, tamen valde difficilis est, atque in earum possessione ingens est periculum æternæ damnationis. *Si fueris dives, non eris immunis à delicto.* Diuitiæ diabolo sunt pro visco, pro laqueo; sunt pro ansa omnis peccati; immò adeò annexa sunt diuitijs peccata, vt ipsæ quoque quodammodo diuitiæ peccata dici possint. Hinc Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* mammonam iniquitatis vocat, non solùm, quia sæpe diuitiæ iniquè sunt acquisitæ, sed etiam quia possessæ non rarò sunt caussa iniquitatis, vel occasio. Ita olim, *cùm roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum; dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo.* Neque enim ipse solus Roboam, regni viribus auctis, sed etiam populus cum eo à Domino recessit. Adeò sæpe plus peccatur in regno valido, quàm afflicto. Quamobrem, Sexto Aurelio teste, Imperator Traianus solebat dicere, *diuitias esse sicut splen*: splene crescente, non bene est homini, sed vix incedere, vix respirare potest: ita crescente pecunia, crescunt morbi animorum; neq; in via virtutis finitur facilè ambulare, qui est copiosus; immò propemodum vix habet facultatem respirandi, aut ad cælum suspi-

Eccli. 11. 11.

Luc. 16. 9.

2. Paralip. 12. 1.

ſuſpirandi; cùm interea animæ pauperum tantò expeditiùs ad cælũ ſubuolent, quantò ſunt minùs oneratæ: *Surge, propera, amica mea, columba mea,* ait ſponſus. Columbam vocat, quia hæc vix habet lienem; vnde perniciter volat, quemadmodum animæ diuitijs carentes. Diuitiæ etiam vrticæ ſunt, citò vrunt; ſpinæ ſunt, facilè pungunt; immò ſicut inter vepres, viperæ, colubri, aliæque beſtiæ virulentæ commorantur, ita inter opes omnis generis venena. *Opes luxuriæ occaſio,* ait S. Chryſoſtomus, *malitiæ ſchola, turpis & defluentis vitæ cauſſa, animæ corruptela, via ad diuerſa ferens mala; curſus nullum habens bonum his, qui abutuntur ſe. Hinc fures, hinc murorum foſſores, domeſtici transfuga in ſemetipſis furti morbum nutrientes.* Quid multis? Eſt in abundantia rerum caducarum ſcopulus, eſt fons, & quædam Lerna malorum, eſt radix omnium vitiorum. *Auaritia omnium radix malorum,* ait S. Aſterius, *innumera ex ſe vitia progignens. Sicuti enim ij, qui aurum in ſinu viſceribuſq; terræ ſcrutantur, auream glebam circa principem & proprium generationis locum, cumulatim repoſitam inueniri narrant, & aliquas inde velut venas, in longum hinc inde produci. Sicut arborum*

Cant. 2. 13.

S. Chryſ. homil. 7. de pœnit.

S. Aſterius hom. de auaritia.

*arborum à ſtipite latè ſeſe explicant ac diffundunt radices: Ad eumdem modum imagine non minùs impropria auri & auaritiæ, multa video germina, multoſq; ſurculos vna, eademq; ſtirpe auaritia coniunctos.* Quæ in genere dicta ſpeciatim percurremus.

## §. III.

### *Superbia è diuitijs.*

A ſuperbia initium ſumamus, vnde initium ſumit omne peccatum, *quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem.* Atque proprius diuitiarum vermis eſt ſuperbia, teſte S. Auguſtino, cui elidendo vt eſſent pares Philoſophi, operam dederunt maximam, vt moderarentur elationem ex affluentia externorum bonorum, diuitiarum ſcilicet & potentiæ. Hæc moderatio, Chriſtianis humilitas vocatur, quæ cohibet animum, ne inſoleſcat, cùm ſe homo copioſarum facultatum poſſeſſorem, & multis alijs imperitantem conſpicatur; ſimulque efficit, ne ægrè ferat, quòd his deſtitutus, eo in pretio non ſit, apud vulgus, in quo ſunt ceteri, qui his rebus abundant. Hinc Philoſophum ſe videri volentem, qui tamen turpe ducebat, quòd patre natus eſſet inope,

Eccli. 10. 15. S. Auguſt. ſer. 5. de Domin. & ſerm. 212. de emp.

Epictet. apud Arrian. lib. 3. cap. 26.

pe, his verbis increpat Epictetus: *Estné turpe tibi, quod ipse non feceris, cuius tu causſa non fueris? Quod alia ratione tibi euenit, quemadmodum dolor capitis aut febris? Si parentes tui fuerint inopes, aut alios reliquerint hæredes, aut dum viuunt, tenuiter se ſuſtentant, ignominia ſcilicet inde ad te redundat nulla. Nec pudenda hæc tibi cenſe. Diſcere ſcilicet illud potuiſti ex Philoſophis. Numquamne audiuiſti, turpe id eſſe, quod ſit dignum ignominia? id verò aliud eſſe nihil, quàm cui ſit illudendum? Quiſnamné porrò eſt, quem irrideas in eo, quia ipſe non fecerit? Tune verò patrem tuum effeciſti talem? an in poteſtate eſt tua, vt rectiùs illa ſe habeant, quæ adipſum pertinent? Permiſſumné id tibi eſt? Quid ergo oportet? Num velle ea quæ in manu tua non ſunt? aut ſi iſta non conſequare, timendæ turpitudo & ignominia?* Incuſat ex hac radice pullulantem ſuperbiam ſuam &

Senec. ep. 87.

Seneca his verbis. *Vehiculum*, inquit, *in quod depoſitus ſum, ruſticum eſt. Mulæ viuere ſe ambulando teſtantur; mulio excalceatus, non propter ætatem. Vix à me obtineo, vt hoc vehiculum velim videri meum. Durat adhuc peruerſa recti verecundia. Quoties in aliquem comitatum lautiorem incidimus, inuitus erubeſco. Quod argumentum eſt, iſta quæ probo, quæ*

*laudo,*

*laudo, nondum habere certam sedem & immobilem. Qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Parum adhuc profeci, nondum audeo frugalitatem palam ferre, etiam nunc curo opiniones viatorum.* Vides vermem superbiæ? Vides quid ex opum æstimatione sentiant ij, qui ceteris sunt sapientiores?

## §. IV.

*Diuitiæ, sunt caussa multorum criminum.*

Quid illis continget, quos diuitiæ regunt, & agunt quò volunt? *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa, & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Tim. 6. *Pecunia delectat, non times,* ait S. Augustinus, *Bona res est pecunia, bona res est magna pecunia.* S. Aug. hom. 13. *Incidunt homines in tentationes, non times? In desideria multa incidunt stulta, & noxia, non times? Desideria quò ducunt, time. Quid est quò ducunt? Quæ mergunt,* inquit, *homines in interitum & perditionem. Et adhuc surdus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & stertis? Ceterùm his, qui iam diuites sunt adhuc, consilium dedit Apostolus; Præcipe,* inquit, *diuitibus huius mundi, non superbè sapere. Vermis diuitiarum superbia est. Difficile est, vt non sit superbus, qui diues est. Tolle superbiam, diuitiæ*

non

*non nocebunt. Sed attende, quid inde facere debeas, ne vacet apud te, quod largitus est Deus: Non superbè sapere. Ista vitia tolle, nega, spera in incerto diuitiarum. Tolle & hoc vitium.* Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suũ; & alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici; vermis autem diuitiarum est superbia, ex eiusdem Patris testimonio. Quid ita? Qui nummos habet, habet quo se vestiat splendidè, quò splendidè epuletur, quò splendidè ædificet, quò magnos famulorum greges alat, quò magnificas pompas instruat, quò se aliorum ope, alios autem sua indigere existimet. Hinc se circumspicit, alios contemnit: hinc alta cogitat, & nullis se non sufficere sumtibus arbitratur. Phryne meretrix facta est, vt fieret opulenta; opulenta euasit, vt fieret superba; & quidem vt de ipso turpissimo quæstu superbiret. Nam, teste Athenæo, Thebas se muris circumdaturam pollicebatur, si hæc scriberent: *Alexander euertit, Phryne meretrix reparauit.* En quantæ superbiæ radix è pecunia? Nimirum grauis viri verbum est: *Nemo vult esse diues, nisi vt insletur inter eos, inter quos viuit: & superior illis videatur.* Postquam

Athen. l. 12. c. 22.

S. Aug in Psal. 48.

quam ergo diues factus est, postquam inflatus est, iniquitatem apponit super iniquitatem, vt dici possit: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Sunt enim*, ait D. Augustinus, *mali, sed macie mali, ideò mali, quia macri: id est, exiles, exiguitate quadam necessitatis affecti, & ipsi mali, & damnandi. Ferenda est enim magis omnis necessitas, quàm perpetranda aliqua iniquitas. Tamen aliud est de necessitate peccare, aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Diues abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie, huius ex adipe processit. Ideò macro cùm dicis: Quare hoc feciſti? humiliter afflictus & abiectus respondet: Necessitas coëgit me. Quare non timuisti Deum? Egestas compulit. Dic diuiti, Quare hæc facis? & non times Deum? Si tamen tantus es, qui possis dicere, vide si vel dignatur audire: vide si non etiam in te ipso prodiet iniquitas ex adipe eius. Iam enim præceptoribus, & correptoribus suas inimicitias indicunt; & fiunt inimici verum dicentibus; iam sueti palpari verbis adulantium, aure molli, corde non sano. Quis dicit diuiti: Malè feciſti rapiendo res alienas? Aut fortè si ausus fuerit aliquis dicere, & talis est, cui non possit ille resiſte-*

Psal. 72. S. Augustin. in Psal. 72.

re, quid respondet? Totum in contemtu Dei loquitur. Quare? quia superbus est. Quare? quia pinguis est. Quare? quia deuotus ad victimam est. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Transierunt in dispositionem cordis. Ibi intus transierunt. Quid est, transierunt? Excesserunt metas humani generis, homines se pares ceteris non putant. Transierunt, inquam, metas humani generis. Quando dicis tali homini: Frater tuus est iste pauper, eosdem parentes habuistis, Adam & Euam: noli attendere tuum rem tuum, in quo eleuatus es: &, si te circumstant familiæ, & si numerosum aurum & argentum, etsi domus marmorata continet, etsi tecta laqueata contegunt, simul te & pauperem contegit tectum mundi cælum: sed diuersus es à paupere rebus non tuis, extrinsecus appositis. Te in illis vide, non illa in te. Attende te ipsum qui sis ad pauperem: te ipsum, non quod habes. Quid enim despicis fratrem? In visceribus matrum vestrarum ambo nudi fuistis. Certe etiam cùm de ista vita exieritis, & ista caro exuta anima fuerint putrefactæ, dignoscantur ossa diuitis & pauperis. De conditione loquor æquali, de ipsa sorte generis humani, in qua omnes nascuntur. Et diues enim hîc sit, & pauper non semper hîc erit. Et sicut diues non

*uenit diues, sic nec diues abscedit. Idem ipse vtriusque introitus, & par exitus. Addo, quòd fortè mutabitis vices.* Sicut diues ille epulo, & pauper Lazarus mutauerunt. Quæ à S. Patre dicta sunt, vt ostenderet, vermē diuitiarum esse superbiam, quæ ex adipe prodit, & ipsâ pauperum, quos despicit, comparatione detumescit, videt enim eorum finem suo esse meliorem; vnde cognoscere potest, etiā principia eorum suis principijs præstare. Nam sicut inopia est virtutum occasio, ita diuitiæ omnibus criminibus viam aperiunt. Quid enim mores magis corrumpit, quàm nummi? Nam, vt vidimus, non nisi qui nummos habent, superbè vestiuntur. Sine pecunia nulla emitur purpura; gemmæ, armillæ, torques, pretio constant. Inopia non patitur habitum sumtu insolentem. Compotationes, conuiuia, ebrietates, ibi abundant, vbi abundant facultates. Vbi maior auri copia, ibi maior auaritia: & *quantò minus rerum, tantò minus est cupiditatis.* Hinc lites, hinc rixæ, hinc cædes, hinc odia & bella oriuntur. Qui habet satis, non indiget labore; otio igitur est obnoxius. At otiosus quid est, nisi puluinar diaboli? libidinis lectus, ager vitiorum. Eapropter & olim ho-

mines ante diluuium ex abundantia rerum in otium; ex otio in luxum; ex luxu in lamentabilem illam totius mundi calamitatem inciderunt. In Brasilia barbari, quia ob cæli clementiam nec vestitu indigent ad frigora arcenda, nec aratro ad victū comparandum, sed omnia sponte proueniunt, idcirco omnibus flagitijs cooperti sunt, & ritu bestiarum degunt. Nempe vbi maior egestas, maior honestas; & abundantia rerum, inopia est virtutum. Caret ergo multis pedicis paupertas, quæ cum rerum affluentia remouet materiam superbiæ, ac omnium vitiorum. Cristas igitur demittit diues si seipsum rectè aspicit.

§. V.

*Diuitiarum vanitas, ab exemplo Alarici Gothorum Ducis.*

Supercilium etiam ponere docetur, si ad finem respicit, omnis enim pompa diuitiarum, vno temporis momento, cum vita abit. Exemplum in Alarico Gothorum Duce exhibet Paulus Diaconus. Is Alaricus pecuniarū copia inflatus magis, quàm plenus, totos se auri non aceruos, sed montes possidere, omnem humanam opinionem excedentes, glorianter admodum iactabat.

Paul. Diac. lib. 13. hist. miscell. & Baron. An. 411.

Vtque

Vtque creſceret tumor, iam ſpe quoque Siciliam deuorauerat; &. ſibi ſuper hoſtium capita gradi videbatur. Sed ſubitò in illo contigit, quod Propheta dixit: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Siquidem dum jam iam traijcere in Siciliam exercitũ cogitaret, inciſo conſilio, fruſtra fuit. Quin etiam in Conſentiæ regione, ſubita morte inopinataque extinctus eſt. Nec ſatis fuit, opes amiſiſſe, amiſit etiam ſepulturæ honores, vtq; memoriam quoque ſepulturæ non haberet, Gothi illico Baſentium amnem à ſuo alueo, per alium tramitem, captiuorum labore, deflexerunt. Vbi aqua defecit, & deſiccatus eſt alueus, Alaricum ibi cùm magnis opibus ſepeliuerunt, rurſusque fluuium in alueum ſuum reuocárunt, vt terris pariter & aquis tegeretur. Ac ne memoria illius vlla extaret, aut ſciri ex quoquam poſſet, vbi vel oſſa, vel opes illius eſſent, captiuos omnes, qui auertendo flumini interfuerunt, & locum tumuli cognitum habuerunt è medio ſuſtulêre. Ita qui *ſuperexaltatus & eleuatus erat, ſicut cedri Libani,* in tranſitu eſſe deſijt, *& non eſt inuentus locus eius,* Pſal. 36. 35.

cui locus antè ædificatus fuerat palatium magnificum, cui spectacula & cœnacula erigebantur sumtuosa, jam nusquam appa-ret; neque tumulus eius apparet, quin & thesauri ipsi cum funere euanuerunt. Si sperамus æterna, cur tantopere quærimus perituta?

Manil. lib. 4. Astron.

*Vt veniant gemmæ, totus transſibitur orbis:*
*Nec lapidum pretio pelagus cepisse pigebit.*
*Annua solliciti consumunt vota coloni,*
*Et quantæ mercedis erunt fallacia rura,*
*Quæremus lucrum nauis, mortemq; sequemur*
*In prædas, pudeat tanto bona velle cadu-ca.*

## §. VI.

*Auaritiæ sordes & insatiabilitas, ab exempl. Midæ, Vespasiani, Mich. Paphlaganis, Iu-stiniani.*

Auaritiam quis monstrum esse neget? eadem & mater est, & filia diuitiarum; pa-rit enim illas, & paritur ab illis. Quia cum pecunia, vt dictum est, crescit cupiditas pe-cuniarum: & inde etiam illiberalitas; vt

Aristot. lib. 4. Ethic. c. 1.

sæpe nemo magis *parcus, tenax, retractus & restrictus* sit (qui omnes in dando deficiunt)

quàm

quàm qui plus habet. Videbis talem tantùm intentum ad accipiendum, numquam ad dandum. Timebit semper, ne necessarijs destituatur, aut ne turpe aliquid committere cogatur. Quod vitium nonnulli ex opibus aiunt Simonidi accessisse. Ille enim vt parcitatem tegeret, dicebat: *malle se mortuum inimicis benefacere, multis post se relictis, quàm viuum amicis egere.* Est hydropi similis auaritia, & pecunia aquæ. Ab hydropico, *Quò plus potantur, plus sitiuntur aquæ:* ita quò plures nummi accipiuntur ab auaro, plures appetuntur. Hinc alter ordo pullulat auarorum apud Aristotelem, de quo ait: *Nonnulli verò in accipiendo excedunt, dum & vndecunq;, & quodcunq; accipere non verentur. Vt sunt qui illiberalia opificia exercent, & lenones, & id genus ceteri, & fœneratores, qui etiam parua magnis cum vsuris accipiunt. Qui quidem omnes, neq; vnde debent, neq; quantum debent, accipiunt.* Addit ibidem: *Communis autem his omnibus turpis quæstus videtur. Caussa enim lucri (atque eius parui) opprobria subeunt. Nam qui magna, vnde non oportet, & quæ non oportet, accipiunt, vt tyrannos, qui vrbes populantur, & templa diripiunt, non illiberales, sed improbos potiùs, sed impios, sed inin-*

Aristot. ibid.

stos appellare consueuimus. At aleator, & fur, seu spoliator, & latro ex illiberalibus etiam ipsis sunt, cùm turpi lucro dediti sunt. Vtrique enim lucri caussa negotiantur, & opprobria sustinent; & hi quidã pericula maxima acceptionis caussa subeunt. Illi ab amicis, quibus dare deberent, lucrantur. Vtrique igitur, cùm vnde non oportet, velint lucrum comparare, turpi lucro dediti sunt. Quid quòd quidam à Superis, alij alii unde ex re qualibet ærarium locupletare non verentur? Quale illud barbarici Midæ votum fuit?

Ouid. lib. 11. Metam.

*effice, quidquid*
*Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.*

Auditus est, accepit dona nocitura; versa sunt omnia in aurum, quæ contrectauit, sed & cibus, & potus.

*Attonitus nouitate mali, diues{que}, miser{que}*
*Effugere optat opes, & quæ modò vouerat, odit.*
*Copia nulla famem releuat, sitis arida guttur*
*Vrit, & inuiso meritus torquetur ab auro.*

Sueton. in Vespas. c. 23.

Quàm sordido lucro Vespasianus vrinæ vectigal in toto Imperio exegit? Quod tamen ad publicas amphoras in angiportis, ad vri-

nam

nam in fullonum vsum excipiendam repositas fortasse fuit arctatum. Baronius, negotiatoribus impositum censet, quod Græci Imperatores, ex vrina, & alui purgamentis, vbicumque deijcerentur, in vectigal exegerunt; & Chrysargyrum, quasi *aurargentum* nominabant. Quod quale fuerit, Constantinus Manasses in Anastasio (qui precibus ascetarum quorumdam dedit, vt illud abrogaret) sic exponit. *Omnes viri, mulieres, puellæ, pueri, infantes, mendici, liberti, serui, liberi, nomine stercoris & vrinæ, fisco nummum argenteum pendebant. Idem onus etiam iumentis impositum erat, bobus scilicet, mulis, & equis. Pro quolibet autem cane ac asino, sex folles numerabat is, qui canis asiniué dominus esset.* Caligula materiam præuenit, dum ex edulijs, quæ tota vrbe vænirent, certam summã tributi nomine exactam; itemque ex singulis litibus quadragesimam rei de qua lis esset, componendi, aut donandi facultate intercluſa: & ex diurnis quæstibus gerulorum partem octauam; denique ex infami lucro meretricum certam quantitatem collegit. Crudeliùs adhuc accenderunt opes Michalëlem Paphlagonem Orientis Imperatorem, de quo Cedrenus memorat, eum

Baron. An. 330.

ſuper ceteris vectigalibus voluiſſe ſibi pro cuiuſque facultatibus numerari tributum ex ipſo aëre locorum, quæ quiſque poſſideret. Eò etiam ſpectat titulus, apud Harmenopolum, *de pœnis aëris*. Itaque ſicut olim Iudæis ſummæ aſperitatis voto à Peſcennio Nigro reſponſum prodit Spartianus: *Vos terras leuari cenſitione vultis, ego verò etiam aërem veſtrum cenſere vellem:* ita aduerſus Chriſtianos, Imperator nomine tenus Chriſtianus, reipſa præſtitit, dignus, cui igni, & aqua & aëre interdiceretur, & quē nec terra ſuſtineret. Videri poteſt Lipſius, Theophil. Raynaudus, Adamus Contzen & alij. *In Iuſtiniano*, inquit Euagrius, *tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis, atq; adeò abſurda rerum alienarum appetitio, vt omnia ſubiectorum bona his, qui magiſtratum adminiſtrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de cauſſa inſidias hominibus ſtruere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures verò, immò innumerabiles, & bona multa poſſidebant, cauſſa falſa commentitiaq; confictā omnibus fortunis mulctauit. Quòd ſi quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adijciens conſuetudinem ſe vllam cum eo vel coniunctionem habuiſſe ſimularet; ſtatim omnia iura ac le-*

Iuſt. Lipſius l. 4. Polit. c. 11 Raynaud. lib. 4. de Virt. & Vitijs. cap. 20. n. 221. Contzen in Politicis Euagr. l. 4. c. 29.

*ac leges, modò Iustinianum turpis lucri socium constituerent, eius causſa euerſa iacuerunt; facultates q3 omnes illius, qui falsò in crimen adductus erat, fuerunt in eius domum translatæ.* Quis non exclamet: *Execranda fames auri, sitis improba nummi!*

## §. VII.

### *Auaritiæ sitis, & thesaurizantium vanitas.*

Qui mare bibunt, plus sitiunt, quia salsum est, ita qui opes acquirunt, acquirunt vnà & opum cupiditatem; quin & audaciam spemque maiorum diuitiarum adipiscendarum; quia cum pecunia potentiam acquirunt, qua inferiores deprimant. Quocirca eiuscemodi principem aut regem Homerus Διοτρεφέα, hoc est, *populiuorum* appellat. Et Dauid ait: *Nonnè cognoscent omnes, qui operantur iniquitatẽ, qui deuorant plebem meam, sicut escam panis?* Sed quid tali accidet? *Panis eius, in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Nam *quamquã in imagine ambulet homo,* sitque ad imaginem & similitudinem Dei factus, *tamen vanè conturbatur. Audi conturbationem eius,* ait S. Augustinus, *& vide, si non est vana, vt calces eam, transilias eam, & habites in excelsis,*

Homerus Iliad. 1.

Psal. 13. 4. & Psal. 52. 5.

Iob. 20. 14.

Genes. 1.

Psal. 38.

S. Aug. in Psal. 38.

excélsis, vbi non est ista vanitas. Quæ vanitas! Thesaurizat, & non cognoscit, cui congregabit ea. O insana vanitas! Beatus cuius est Dominus spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias mendaces. Delirare tibi videor, auare, cùm hæc loquor, anicularia tibi videntur hæc verba? Tu enim videlicet homo magni consilij, magnaq; prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura, fortassis & de eloquio, de iuris consultatione, de militia; addis & de fœnore. Homo cordatus nihil prætermittis omnino, vnde nummus super nummum, & in occulto diligentiùs acquiratur. Depræderis hominem, caues deprædatorem: quod facis, times ne patiaris, & in eo, quod pateris non te corrigis. Sed non pateris, prudens enim homo es: bene seruas, non solùm benè colligis. Habes vbi ponas, cui committas, quo modo nihil pereat ex eo, quod congregasti. Interrogo cor tuum, discutio prudentiam tuam. Ecce collegisti, ecce ita seruasti, vt nihil possis amittere eorum, quæ seruasti. Dic mihi cui seruas? Non tecum ago, non commemoro, non exagero quidquid mali habet auaritia vanitatis tuæ: hoc vnum propono, hoc discutio, quod mihi dat occasio lectionis huius Psalmi. Prorsus colligis, thesaurizas: non dico ne fortè, dum colligis,

*gis, colligaris: non dico, ne fortè, cùm vis esse prædo, sis præda: hoc apertiùs eloquar. Fortaßis enim cæcus auaritia, non audisti, aut intellexisti: non dico, inquam, ne fortè, cùm vis esse prædo minoris, sis præda maioris. Non enim sentis esse te in mari, nec cernis minores pisces à maioribus deuorari. Non dico ista, non dico difficultates & pericula in ipsa conquisitione pecuniæ: quanta patiantur, quiæam colligunt, quàm in omnibus periclitentur, in omnibus pænè mortem videant: transeo hæc omnia. Prorsus colligis, nullo contradicente; seruas nullo auferente; excute cor tuum ac prudentiam tantam, qua me derides, qua me insipientem putas, hæc loquentem, & dic mihi, Thesaurizas, cui congregabis ea? &c.* In quam rem narrat S. Gregorius Nyssenus hominem auaritia absorptum, non solùm in suos plus quàm credi posset parcum, sed etiam in seipsum, iusto Dei judicio, neq; sibi, neque filijs suis, quod collegerat, collegisse. Nam cùm magnam vim auri comportasset, cui gryphis in modum incubaret, subita morte extinctus est. Itaque quia nemini vlli thesaurorum suorũ latebras indicauit, filios familiamque vniuersam pauperrimam reliquit: qui omnes stultitiam patris detestati sunt, vt qui asperitatem

S. Greg. Nyss homil. in vsur.

ritatem in se & suos dum viueret, summa egestate moriens cumulârit. Thesaurizauit iste, sed nescíens cui congregaret. Alioqui S. Bonauentura auarum porco similem esse scribit, qui non nisi mortuus vtilis est alijs, cùm quæ sibi soli in vita collegerat, in morte alijs relinquat, animam diabolo, corpus vermibus, opes amicis. Iste autem ita industriè egit, vt opes eius ne filijs quidem relinquerentur. Quibus igitur? nesciuit, quinam thesaurum illum reperturi essent, amicine, an inimici, malè gratias acturi.

S. Bonauent. in diæta salutis tit. 1. c. 4.

§. VIII.

*Prodigalitas è diuitijs.*

Ob hæc talia, non solùm non gaudendũ est thesauris acquisitis, sed neque amissis dolendum est. Quis enim prudens dolet vanitate erepta, & veritate inuenta? Quis non lætatur vinculis, quibus tenebatur, diruptis? & catena, qua in exitium trahebatur, à se ablata? Quamquam opes, non superbiæ tantùm auaritiæque sunt instrumenta, sed, vt D. Chrysostomus ait, *diuitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantia, superbia, omnisq; irrationabilis motus.* Nemo quia diues est, duos ventres habet; & tamen plerique ita comedunt,

S. Chrys. lib. quòd nemo læditur, nisi à seipso.

dunt, quasi duos ventres habeant opulenti. Quis enim dapes adornat Iouiales? quis exoticos pisces, peregrinas aues, vina trans maria vecta apponit? quis Apitium agit, aut Sardanapalum? nonnè cuius marsupium turget? Vel ipsi opifices, quoties, quod tota hebdomade, assiduis laboribus, corraserunt, vbi die vltimo nummulos acceperunt, die primo cauponam adeunt, & degulant, quidquid in sequentem hebdomadem suffeciisset? Ætolos, ob victûs magnificentiam, ære proprio consumto, oppressos alieno scribit Polybius. Opulentia nimirum superbos, superbia prodigos facit; prodigalitas demum opes rursum decoquit, quas auaritia collegit. *Crasso pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit. Sed eidem postea inopia turpem decoctoris suggillationem iniunxit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venierunt. Ita quoque amara suggillatione non caruit: quia cum egens ambularet, DIVES ab occurrentibus salutabatur.* Callias Athenienſis, Diomnesti Eretriei diuitias malè partas ita dilapidauit, vt apud vetulam quamdam barbaram viuere cogeretur, victusque quotidiani inopia laborans, mortuus sit. Vides in quanto

Polyb. l. 13. hist. Athen. l. 12. c. 10. Val. Max. lib. 6. c. 9.

Athen. l. 12. c. 17.

circuitu

*circuitu impij ambulent?* Nummos ad se trahunt, vt magnes ferrum. Nummi eos trahunt ad profusionem. Hæc iterum eos præcipitat ad paupertatem. Ita sursum deorsum aguntur argenti amatores. Acilio Butæ prætorio, postquam totas inter pocula noctes transegisset, somno impendisset dies, patrimoniumq; ingens consumpsisset, paupertatem suam agnoscenti, *Serò*, inquiebat Tiberius Imp. *experrectus es.* Nempe antea inter viros diuitiarum erat, *qui dormierunt somnum suum.* Quid mirum, si, qui in somno ac dormientes ambulant, & se, & omnia sua profundant? Non possum hîc omittere Themistoclis adolescentiam, in qua ei pater abdicationis notam inusſit, mater propter filij turpitudinē coacta est suspendio vitam finire. Qui luctus hodieq; multis matribus accidit, quæ sæpe plorant, pectus tundunt, crines lacerant, Superosque obtestantur, ob acerbos liberorum casus, in quos non inciderent, nisi matres ipsæ furiosis arma ministrarent. Nisi enim, clam patre, eis pecunias suppeditarent, non haberent, vnde discerent ludere, pergræcari, nepotari; sed necessariò ad eiuscemodi luxus sumtu destituti, honestis artibus, ludo littera-

Cælius Rhodig. l. 9. c. 13. Antiq. c. 13.

Val. Max. l. 6. cap. 9.

litterario, sobrietati, virtuti se dederent. Discant hi parentes à Phocione Athenienſi filios tractare, cui cùm pecuniarum acerruus à Philippo rege Macedonũ dono mitteretur, nequaquam accipere voluit. Hortantibus autem oratoribus, vt etsi ijs carere posset, filijs tamen eas acciperet, quibus esset valde difficile, paternam dignitatem in tanta paupertate tueri, respondit: Si mihi fiant similes liberi, hic idem agellus, qui me ad hanc dignitatem euexit, illos educabit. Sin dissimiles, nolo eorum luxuriam his opibus alere. Dignus de quo sit diu inter Græciæ Sophistas quæsitum, Maiorné Alexander esset, an Phocion, qui Alexandri aurum contemsit? Præstat vtique filios pauperes habere, quàm per diuitias ducere ad prodigalitatem, vnde rursus inopes facti, mendicare cogantur, veri Salacones. Apud Suetonium *C. Caligula Imp. non habuit vt filiam dotaret, ob sumtus citra modum factos: stetitq; Calendis Ianuarijs in ædium vestibulo, ad captandas strenas, & stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu diuersa turba fundebat. Tam pauper euasit vel nimia largitione, vel immodica auaritia ille, qui aliquando super immensos aureorum acerruos, patentissimo loco diffusos,*

Sabellic. l. 8. cap. 5.

Sueton. in Caligula.

*nudis pedibus ſpaciatus eſt, & toto corpore grun-nientium porcorum inſtar aliquamdiu volutatus.* Vides vt vitia ſe mutuò deſtruunt, cùm virtutes vſque adeò ſibi inuicem non aduerſentur, vt ſæpe omnes in vno pectore repe-
Æmil.l.7. riantur? Ad quantam pecuniæ penuriam recidit Fridericus Imp. II. dum Cæſarum antiquorum magnificentiã & rerum ſplendorem, editis ſpectaculis, æquare conatus eſt. Vtinam non etiam hodie multos magnificentiæ nomen ita ineſcaret, vt dum parasiti, & adulatores, & ſcenæ, & theatra omnia abſumunt, Chriſto, & eius pauperibus nihil ſuperſit; immò, vt ne ipſiſmet. Lucu-lentum exemplum in Euangelio propo-
Luc.15.11. nitur. *Homo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam.* Quàm longè melius feciſſet, ſi ei non annuiſſet? Manſiſſet vtique cum illo. Nunc *profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè.* Si nihil attuliſſet, non aperuiſſent ei domum ſuam meretrices. Nota ars harum mulierculorum. Luxûs igitur & luxu-riæ inſtrumenta ſunt opes, quæ hominem à Deo ſeparant, & in longinquam regionem

auellunt.

auellunt. *Regio longinqua*, ait S. Augustinus, obliuio Dei est. Et S. Ambrosius: *Quid est*, inquit, *longinquiùs ire, quàm à se recedere? nec regionibus, sed moribus separari? studys discretum esse, non terris? & quasi interfuso luxuria sæcularis æstu dinortia habere sanctorum? Etenim qui se à Christo separat, exul est patriæ, ciuis est mundi. In regione longinqua*, ait S. Augustinus, *illi erant, qui sedebant in tenebris, & vmbra mortis:* & illi, vt Theophylactus ait, de quibus dictum est: *Qui elongant se à te, peribunt. Longè enim est Dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudiet.* Quod vtrumque in filio prodigo contigit. Adeptus facultates, quæ ei iure hæreditatis obuenturæ erant, nondum tamen debebantur, abijt in regionem longinquam: sed vbi eas amisit, pauper factus, & redactus non tantùm ad incitas, sed etiam ad siliquas porcorum, vexatione intellectum dante, *in se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? Surgam & ibo ad Patrem meum, &c.* Ecce quo modo fames, quo modo inopia eum in viam reuocat, qui aberrauit? Ecce quomodo paupertas ad patrem reducit, quem abundantia in regionem longinquã

S. Aug. lib. 2 qq. Euang. cap. 33.
S. Ambr. in c. 15. Lucæ.
Isa. 9. 2. Psal. 72. 27.
Prou. 15. 29.
Luc. 15. 17.

abstraxit? Et adhuc copiam præ inopia amamus? adhuc putamus, malè nobiscum agi, si nobis aufertur, quod nocet; & datur quod prodest? *O cæcas hominum mentes!* Vtinam illud sæpe repeterent: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet.*

Eccli. 10. 10.

## §. IX.

### *Bella & lites è diuitijs.*

Malè oculis affecti, qui muscam non vident, saltem vident elephantem. Nos quoque ijs, qui dicta non æstimant, tamquam minora, maiora afferamus, vt oculi cæcorum aperiantur. Siquidem & maiorum malorum caussa sunt opes. Notum est illud Sallustij: *Diuitiæ, & imperia, bella atque certamina inter mortales excitant.* Si bella, quæ publica sunt, quantò magis discordias priuatas? Verè Poëta: *Certamen mouistis opes.* Duæ erant familiæ inter se multis titulis connexæ & amicæ, eorumque capita viri sancti; & tamen *facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot.* Qua, obsecro, de caussa? *Erat substantia eorum multa, & non quibant habitare communiter.* Videns igitur mille confligendi caussas esse inter diuites, ait Abram ad consobrinum suum charissimum:

Sallust. in Catilin.

Gen. 13. 7.

mum: *Ne, quaſo, ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce vniuerſa terra coram te eſt; recede à me, obſecro.* Si igitur inter Sanctos hos diuitiæ & pax non potuerunt ſimul habitare, quas tricas non dabunt inter peccatores, qui domi, qui foris, in foro & curia, vnius oboli cauſſa, peierant, blaſphemant, & funeſtas tragœdias meditantur? Nouerat hanc opum naturam ſapientiſſimus Ioſeph, qui redeuntibus ad patrem fratribus ſuis dixit: *Ne iraſcamini in via.* Cur hoc dixit ijs, in quibus tantam vidit animorum coniunctionem, tantumque amorem, vt omnes pariter, pro minimo fratre Beniamin liberando ſeſe obtulerint in ſeruitutem dicentes: *Omnes ſerui erimus domini mei?* Quid ergo ſuſpicatus eſt? eoſdem in via exarſuros in iram. Dederat fratribus ſuis non ſolùm frumentum, ſed inſuper etiam *eis dedit plauſtra, & cibaria in itinere, & ſingulis proferri iuſſit binas ſtolas, & Beniamin dedit trecentos argenteos, cum quinque ſtolis optimis; tantundem pecuniæ & veſtium mittens patri ſuo.* Cùm ergo ſciret pecuniam eſſe matrem diſcordiarum, litiumque ſemen, quia *dedit eis ex omnibus diuitys Ægypti*, prudenter eos

Gen. 45. 24.

Gen. 44. 16.

Gen. 45. 21.

monuit, ne inde ansam arriperent vel inuidiæ, quòd minimo plus dedisset, vel iræ, quòd huic talem, alij aliam stolam dedisset. Qualis discordia existere potest, vel inter ipsos quoque Religiosos paupertatis non amantes, si vident alium habere meliorem pileum, recentiorem togam, nitidius pallium, pulchrius breuiarium; sæpe etiam ob elegantiorē icunculam: aut si, ob calceos magis attritos sibi datos, sunt in fermento. *Certamen mouistis, opes.* *Denig;* quò quisque plus habet rerum, eò plures habet sollicitatores, & insidiatores.

## §. X.

## *Diuitiæ appeti ob vindictam, ob quam ipsæ essent fugiendæ.*

Vt autem dissidia ex opibus germinant, ita & vindictæ appetitus. Qui enim videt, sibi deesse vires ad vindictam, fert, quod ferre cogitur. At qui nouit, sibi neruum esse, cristas erigit, & surgit in iras. Immò ad hoc optantur, & quæruntur opes, vt ijs nocere possit, qui inuisi sunt. Hoc ipso damnandæ, quia sic quærendæ. Scitè D. Chrysostomus: *Sed vindictam, inquis, inimicorum sumere aliter non possum. Hæc verò est maxima caussa, propter quam execrandæ sunt diuitiæ,*

S. Chrys. tr. quòd nemo læditur, nisi à seipso.

*& amanda paupertas; istum enim gladium, quẽ dicis, acuunt aduersum te; faciunt enim te praeuaricatorem mandati illius: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Vis autem videre, quantum mali habeat cupiditas vindictæ? Misericordiam DEI aufert ab homine, & gratiam jam concessam reuocat, & infringit. Scriptum est enim in Euangelio, quòd is, qui talentorum multorum debitor fuerat, & veniam à domino precatus, à domino impetrauerat; cùm conuersus ad seruum suum, qui ei parum pecuniæ debebat, hoc est, ei qui parum in eum peccauerat, exigere eum cœpit, vindictam scilicet sumere, & ob quod immitis fuit erga indigentiã conserui, ipse de se tulit sententiam, vt non solùm jam concessa non frueretur indulgentia, sed & tortoribus traderetur, atq; vniuersi debiti summam, cum supplicio solueret ac pœna, & ita, pro desiderio vindictæ, munus perdidit indulgentiæ diuinæ. Pro his, quæso te, expetendæ videntur diuitiæ, vt tibi facilior sit ad interitũ via? Nonnè pro his maximè oportebat eas veluti grauissimum inimicum vitari?*

Rom. 12. 19.

Matth. 18.

## §. XI.

### *Opes bellorum, & aliorum tam publicorum, quàm priuatorum malorum caussam esse.*

Quid quòd non priuatæ duntaxat inimicitiæ, ob pecunias, gliscunt, sed etiam odia in publica bella, propter opes erumpunt? Atque vt quàm damnosa sint hæc lucra, appareat, sæpe à ludo incipitur, & ad arma venitur. Post Sleidanum Thuanus, nescio qua fide, hæc scribit: *Caussas odij inter Ioannem Fridericum Electorem, & Mauritium Saxoniæ principes gentiles aliqui has adducunt. Cùm in aleæ lusu Mauritius, omni pecunia amissa Septemuirum ad continuandum ludum, deposito oppidulo improbiùs vrgeret, eo itidem amisso, Mauritium à Septemuiro increpitum fuisse, admonitumq3, vt in posterum in ludendo modũ seruaret. Illum verò reprehensionis acerbitatem grauiùs iusto tulisse, statimq3 agnato suo, ex ea caussa, bellum intulisse, quod vix tamen Hessi soceri interuentu compositum sit.* Sic luditur in terris, quod totis bellis luendum est. Priuatorum exempla sunt quotidiana, eorum, qui tota ludendo patrimonia perdunt, & qui eò ludendi libidine prouehuntur, vt omnibus bonis exuti seipsos in seruitutem abducendos pecuniæ opponant. Quin ad remigandum damnati, vbi per decem annos, aut etiam plures durissimam seruitutem seruierunt, elapso damnationis tempo-

Michaël Piccartus obseruat. Historico-Politicarum decad. 6. c. 4.

Plura exempla sic ludentiũ sunt apud Mart. Cromerũ lib. 6. Chron. Polon. Sueton. in Augusto c. 71. Plutarch. in Artaxerxe.

tempore, audent sæpe, pro vili precio ludere, seque denuo ad remos ducendos mancipare. Tantus amor est pecuniarum, vt non solùm rixas, odia, bella excitet, sed etiam in seipsum arma conuertat. Immò plerumque, dum in alios, quos expilat, grassatur, in seipsum quoq; sæuit. Verissima enim sunt illa D. Ambrosij: *Diuites, eripitis quidem pauperibus vniuersa, aufertis omnia, nihil relinquitis, pœnam tamen pauperum vos potiùs diuites sustinetis. Illi ieiunant, cùm non habeant; vos ieiunatis, cùm habeatis. Vobis igitur priùs pœnam exigitis, quàm pauperibus erogetis. Vos igitur, vestro affectu, luitis miseræ paupertatis ærumnas. Et pauperes quidem non habent, quo vtantur: vos autem nec ipsi vtimini, nec alios vti sinitis. Eruitis aurum de metalli venis, sed rursum absconditis. Quantorum vitas in illo infoditis auro? Cur illa seruantur, cùm legeritis de auaro diuite: Thesauros condit, & ignorat, cui congregat eos? Hæres otiosus expectat, hæres fastidiosus increpat, quòd serò moriamini. Odit incrementa hæreditatis suæ, ad damna festinat. Quid igitur miserius, quando nec apud illum, cui laboratis, gratias derelinquitis? Propter illum totis mœstam diebus toleratis famem, quotidiana mensæ vestræ da-*

S. Ambr. lib. de Nabuth. cab. 4.

*mna metuentes. Propter illum diuturna adamatis ieiunia. Noui ego diuitem in agrum proficiscentem, panes breuiores vrbe delatos numerare solere; vt pro numero panis æstimaretur, quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis vnus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ouum esset appositum, queri, quòd pullus esset occisus. Hoc ego scribo, vt cognoscatis vindicem esse Dei iustitiã, quæ lachrymas pauperum vestro vlciscatur ieiunio.* Hæc Ambrosius.

## §. XII.

### *Auarus quomodo se ipsum cruciet?*

Quæ confirmantur quotidiana experientia eorum, quibus pecunia est pro anima, argentum pro sanguine, aurum pro vita; nam hanc malunt fundere, quàm nummos perdere. Quæ S. Asterius grauiter & disertè his verbis confirmat. *Auarus propinquis est odiosus, famulis grauis, amicis inutilis, extero difficilis, & vix affabilis, vicinis molestus, vxori malus contubernalis, liberorum parcus atq; sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiuq; solicitus, & cogitabundus, secũ ipse loquens ac differens, eorum more, qui mente excide-*

S. Asterius hom. de auaritia.

exciderunt, & in insaniam lapsi sunt, denique cùm omnibus abundat, tamquam omnium egenus ingemiscit; præsentibus non fruitur; quæ absunt, anxiè quæritat; propriis non vtitur; & ad aliena oculos adijcit. Multi (inquit) in istius grege agni: stabula vix capiunt, planicies ac pascua tota teguntur. At si pinguem & bene habitam ouem vicini viderit, misso proprio grege in vnam, & alienam illam cupiditate fertur. Atque ita quoque de bobus, equis, agris. Omnium copia rerum ædes coangustat, sine vsu, sine fructu. Nullum enim percipere fructum voluptatis potest, quisquis insatiabilis: estq; domus eius similis conditorijs, siue sepulchris, quæ sæpe plena sunt auro atque argento, cùm qui vtatur existat nemo. Corpus auari non alitur; anima nihil lucratur, quia non exuberat è dextera eius eleemosyna. Quis autem laboris & ærumnæ finis? Dicat eorum aliquis, quos hic morbus corripuit. Multos equidem ipse noui, qui etiam, cùm in morbo cubant, pecuniam salute sua magis ament, & æstiment. Nam si fortè medicus remedium eis parabile præscribit, ac parui pretij, ex apio puta, thymo, vel anetho, quæ passim obuia sunt, & paruo comparantur, sine mora consilio obtemperant. Si verò medicamentorum eiusmodi mentio, quæ ex pluribus componuntur,

*nuntur, & vel ex pharmacopolio, vel ex vnguentaria petenda sunt, animam potiùs exhalent, quàm crumenam soluant. Quid mirum? cùm mente & cogitationibus terreni sint, terrestrium possessionem rerum vitam & spiritum ducunt.*

## §. XIII.

### *Auaritiam nec mortuis parcere.*

Quid jam mirum, si in alios sæuit, qui amore diuitiarum se ipsum occidit? Priami filius Polydorus, initio belli Troiani, ad Polymnestorem Thraciæ regem, cum magna vi auri à patre missus, vt si contingeret Troiam capi, ipse genus & vrbem posset instaurare; auri cupiditate, à rege barbaro interfectus est. Quod Poëta his versibus deplorat.

Virgil. lib. 3. Æneid.

*Hunc Polydorum auri quondã cum pondere magno*
*Infelix Priamus, furtim mandarat alendum*
*Treicio regi: cùm iam diffideret armis*
*Dardaniæ: cingiq; vrbem obsidione videret.*
*Ille, vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit,*
*Res Agamemnonias, victriciaq; arma secutus,*

Fas

*Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro*
*Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis*
*Auri sacra fames?*

Neque in fabulis duntaxat hoc facinus defletur, sed etiam in sacris historijs, quæ docent auaritiam etiam mortuis esse infestam, quos *de requie sepultura*, vt Tertullianus loquitur, *de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos*, affectu planè illiberali & muliebri, immò canino, auellit, dissecat, distrahit. Ad quam auaritiæ in defunctos feritatem auertendam, tradit Onuphrius, veteres consueuisse pretiosam vestem, qua plerumq; cadauer inuoluebant, varijs locis concerpere ac forare, quòd alioqui rapacitati pateret, & abijciendi corporis occasionem ingereret. Indicant eum morem etiam verba Origenis, ad illud Iob: *Conscidit vestimenta sua*. Sic enim ille Iobum aduersarios affantem inducit. *Si me mortuum æstimatis, ô inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas atq; regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eos possidentes.* Et addit: *Puto, quòd ex illo consueuerunt homines, cùm pretiosam sepulturam cuilibet miserint, conscindunt eam:*

Tertull. in Apolog. c. 37.

Onuphr. lib. de ritu sepeliendi mortuos.

Orig. in c. 1. Iob.

*eam: ne aliqui sceleſti & ipſum corpus proijciant, & ipſam pretioſam ſepulturã poſſideant.* Contra quod flagitium, more ſuo, luculentè diſputat D. Chryſoſtomus, & Iſidorus Peluſiota, qui videri poſſunt. Ex his ſatis apparet, neq; mortuos à piceatis his manibus eſſe tutos atque incontaminatos. Quantò minùs ſecuri erunt viuentes, quorũ minor eſſe ſolet reuerentia? Eſt enim aliquid, quod natura in mortuis reueretur, & refugit læ-dere.

S. Chryſ. hom. 35. in 1. ad Corinth.

Iſidor. Peluſ. lib. 2. epiſt. 146.

## §. XIV.

### *Auaritiam eſſe Cauſſam parricidiorum.*

Hanc ob cauſſam teſtatur Suidas, Ariſtippum Socraticũ, neſcio quò nauigaturum, ſeruulo de pecuniarum, quas ferebat, onere conquerenti dixiſſe, vt eas abijceret. Poſtea eaſdem ipſe in mare abiecit, cùm propter illas ſibi à ſceleratis nautis periculum inſtare videret. *Harum interitus, mea ſalus erit,* inquiebat. Quam Philoſophiam multi nolunt imitari. Malunt enim ipſi perire, quàm ſuas opes. Et pereunt plurimi, dum aurum ſecum, tamquam hoſtem ſuum, ferunt, alliciuntque prædâ prædones, dum interea cantat coram latrone vacuus viator. *Age,* inquit aureum illud os, *tibi oſtendam, quo pacto cupidi-*

S. Chryſ. hom. 23. in 1. ad Cor.

cupiditas te odio habet, & te relinquit. Quo pacto contra te ensem acuit, quot barathra effodit, quot struit laqueos, quot parat pracipitia, vt hoc saltem pacto ardorem extinguas. Vnde autem hæc cognosci possunt? Ex itineribus, bellis, mari, judicijs. Siquidem & pelagus sanguine sæpenumero impleuit; & judicũ enses iniustè non numquam cruentauit; & latrones, qui noctu vias obsident, declinante die armat. Ipsa vt natura ignoraretur persuasit. Ipsa patricidas & matricidas effecit. Ipsa omnia vitæ mala induxit. Quare radicem malorum Paulus eam appellat. Quam naturæ omnis oblitam crudelitatem S. Asterius his verbis delineat. *Hinc video filium capiti genitoris imminentem, & absq; vlla vel veneranda canitiei, vel authoritatis patriæ reuerentia, longiorem senis vitam indignantem. Cùm enim copiam omnem domi largiter suppetere videt, cuius dominium penes ipsum non sit, eoq; potiri ipse cupit, & sui quoque juris fieri, grauis illi patria authoritas ac potestas. Et initio quidem intra silentium sese continet, alteq; reconditum morbum habet. Aucta dein paulatim cupiditate, & animo tumente, repentè malum prorumpit, non aliter quàm è fistulis & canalibus aquæ vis. Tum ille misero seni prorsus intolerabilis, viuumq; tantùm non effert ac valentem*

S. Asterius hom. de auarit.

lentem. Si equum agiliter conscendit, miratur & adstupet. Si largiùs & bene sanus cibum sumit, fert ægrè, secumq; murmurat. Si famulos ad opera & ministeria manè excitat, vigilantiã bonamq; valetudinem senis gemit ac dolet. Quòd si aliquod cimelium alicui donauerit, aut seruum manu miserit, tum nullius homo pretij ac delirus audit: tum quasi viuendi regulam ac prescriptum transgressus, alienisq; prodigus ac profusus, conuitijs atq; probris omnibus proscindatur; longioris heu vitæ, & spiritus non statim emissi reus. Tui isti, scelerata auaritia, fructus. Tuo impulsu & incentiuo filius parenti inimicitias denunciat. Tu comples terrã latronibus, & homicidis, mare piratis, vrbes turbis atq; tumultibus, forum atq; tribunal falsis testibus, sycophantis, proditoribus, aduocatis & judicibus, eò propendentibus, quò tu pertraxeris. Auaritia mater inæqualitatis, immisericors, inhumana, crudelis. Hæc Asterius de cupiditate per opes accensa, quæ, teste Valeriano, in filio *Parricidali animo aut patris vitam increpat, aut matris mortem expectat. Tueatur illum fortè ab hoc crimine caussa debitæ hæreditatis. Verum est. Sed quamquam legitimus hæres sit, non tamen sine cupiditatis vitio successionis vota componit. Vellet denique vnicus esse, si posset,*

Valerian. hom. 20.

*posset. Modò de patris morte cogitat, modò de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis. Nam quisquis hominum parentiuæ mortis expectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit. In quo loco cupiditatis impulsu nutriuntur inter coharedes odia.*

## §. XV.

### *Auaritiam & ambitionem in fratres sæuisse.*

Exempla sunt innumera, etiam fratrum inter se agentium, quod egerunt, inter se Eteocles & Polynices Oedipi Thebanorum regis filij; qui defuncto parente, de hæreditate & ditione dissidentes, contractis vtrimq; copijs, ambo se mutuis vulneribus interfecerunt. Eamdem caussam habuit Romulus, sed prætexuit, cùm Remum occideret. Eamdem in sacris historijs Ioram rex Iudææ, qui suasu Athaliæ vxoris fratres interfecit. Eamdem, vt tradit Volaterranus, habuit Aristobulus rex & ipse Iudææ, vt Antigonum fratrem, quem priùs regni consortem fecerat, falsò insimulatum perimi iuberet. *Compertum est*, inquit Diodorus, *Osiridem Ægypto iustè regnantem à Typhone fratre impio ac nefario interemptũ. Quem in*

*sex & viginti partes dissectum cuilibet eorum qui tanti sceleris participes fuerant, partem dedit, vt ipsos defensores custodesq; regni fidos haberet.* Polyphontes rex fratri necem intulit, quòd ab eo insidias & mortem sibi parari intellexisset. Herodotus alijque scribunt, Cambysi Persarum regi visum esse per quietem, venisse sibi nuncium, qui diceret, *Mergidem fratrem solio sedere regio.* Qua illa visione consternatus, Perexaspem Persam ad eum interimendum misit. Mamertes cùm Sisaphonis Corinthij fratris sui filios regnandi libidine peremisset, ab ipso Sisaphone membratim laceratus est. Rhesus Maximi & Ameriæ filius fratrem Simulum in venatione vita priuauit. Salluſtius quoq; affirmat Iugurtham Manastabolis filium nothum fratres suos Adherbalem & Hiempsalem Micipsæ patrui sui filios exanimasse, vt solus Numidis imperaret. Atque vt ad nostra tempora propiùs accedamus, Isaacius Angelus Imperator ab Alexio fratre (quem à Turcis captum redemerat) per summum scelus, oculis, imperio, & vita priuatus est. Feugo quoq; Horuendilium Danorum regem fratrem suum insidijs circumuenit, atq; vbi parricidio datus est locus,

Oel. lib. 4. c. 3.

Saxo Grammat. l. 3.

cruenta

eruenta manu funestam mentis libidinem satiauit, vt eo mortuo regnaret. Gregorius Turonensis memorat, Herminefredum Bertarium fratrē vi oppressisse, vt soli sibi tranquilliùs & securiùs, apud Thuringos liceret regnare. Fernandus rex Castellæ, Sanctij filius, Carsiam fratrem regem Nauarræ peremit, vt Nauarram ipsam suo adijceret regno. Vsque adeò libido principandi non præscribit sibi modum. Eamdem ob regnandi caussam, Drahomira matre instigante, Boleslaus Vratislai Bohemorum regis filius fratrem Wenceslaum æquitatis & religionis obseruantissimum principem, & Abeli iusto persimilem, è solio & vita eiecit. Deniq; Orodes Phraatis filius, Parthorum rex, Mithridatem secundum fratrem suum Babyloniæ obsedit, factaque deditione, in conspectu omnium, quamuis supplicem contrucidauit. *Deus te perdat, ambitio*, inquit ille,

Io. Dubrauius lib. 5 hist. Bohem. Surius in vita S. Wenceslai 28. Septemb.

*Qua fratres armas in fratrum viscera, quaque*
*Securum à nato non finis esse patrem.*

Neque enim, vt suprà ostendi, in fratres tantùm sæuit amor diuitiarum; parentum ipsorum iugulos petit. Nam, vt Plato queritur,

Plat. l. 10. de Rep.

Cæl. lib. 16. lect. Antiq

ritur, Ardieus Pamphyliæ tyrannus patrem senio confectum, & fratrem natu maiorem morte affecit. Mithridates tanta feritate fuit, vt matrem, fratrem, & insuper sex liberos crudelissimè è medio tolleret. Cosroes rex Persarum senio confectus Medarsem filium regni hæredem instituit, ob quam caussam ab altero Siroche natu maiore peremtus est. Agminatim sese historiæ, & quidem admodum luculentæ, offerunt, in quibus opes leguntur filijs chariores fuisse quàm fratres & parentes.

## §. XVI.

### *Auaritiam pecunias Deo anteponere, vel colere vt Deum.*

Potestné aliquid parente charius esse? potest, & debet, nempe DEVS. Quò igitur vlteriùs potest progredi insania pecuniarum, quàm vt Deum ipsum vendat, eique argentum anteponat? Ad hunc malitiæ apicem ducit nummus. Euangelium ipsum audi. *Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.* Tanti fuit, apud perfi-

Matth. 26, 14.

perfidum, pecunia, vt triginta argenteis venderet Deum. Sed de hac Iudæ scelerata proditione, in peculiari libro, satis multa memoraui. Hîc illud non possum omittere, quàm plurimos esse Iudæ imitatores, qui Christum non solùm Iudæis, & veneficis in sacra hostia conuulnerandum vendunt, sed eo etiam abnegato, amore diuitiarum, sibi nouos Deos faciunt. Hoc est enim, quod apud Osee queritur Dominus: *Argentum multiplicaui eis, & aurum, quæ fecerunt Baal.* O miseros homines, ad quid dat vobis Deus argentum & aurum? An ad hoc, vt ex ijs idola Baal, & vitulos aureos conficiatis? Nam & filijs Israël olim Deus donauit thesauros Ægyptiorum, quibus illi non vsi sunt in eleemosynas, non in alium pium vsum, sed ad vitulum ex eo conflandum, vt inde Deum offenderent, vnde locupletati fuerunt. Queritur id meritò etiam per Ezechielem: *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo.* Neque hîc illi tantùm tanguntur, qui ex auro, Iouis, aut Æsculapij, aut alterius ficti Numinis statuam fundunt, coluntque, sed omnes auari. Nam & Apo-

Osee 2. 8.

Exod. 32.

Ezech. 7. 20.

Coloss. 3. 5.

ſtolus *auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus*, idololatriam vocat. Etſi enim quidam dixit, *nullas nummorum ereximus aras*, Plutus tamen olim colebatur, & idem dixit:

Iuuen. Satyr. 13.

*Eſt alius metuens, ne crimen pœna ſequatur,*
*Hic putat eſſe deos, & peierat, atque ita ſecum*
*Decernit, quodcumque volet de corpore noſtro*
*Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,*
*Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos.*

ac rurſus, de auaro:

Iuuen. Satyr. 14.

*Falſus erit teſtis, vendet periuria ſummis*
*Exiguâ, Cereris tangens aramq; pedemq;*

Certè vbique tamquam Numini, *Plurimus auro Venit honos.* Certè non aliter quidam pecunias colunt, ac ſi quid diuinum illis ineſſet: pecunijs religionem, iuſtitiam, cælum, Deum poſtponunt. Petrus Damiani ſua ætate, & S. Aſterius, ſuo tempore id pleriſq; incentore Iuliano Apoſtata, contigiſſe deplorant, & multos ob auri ſpem in aliqua falſa ſecta affulgentem à recta fide deuiaſſe. Et hodie quoque ah quàm multi temporalium bonorum eſca, cùm diſpendio æterno-

Petrus Damian. opuſc. 31. cap. 4. S. Aſter. homil. de Auarit.

rum, in hæresi perseuerant! Agnoscunt veritatem esse apud Catholicos, vident errores Lutheranos, aliorumúe sectariorum; sed quia officium, quia hæreditatẽ, quia agros, aut domos amitterent, malunt cælum perdere, quàm aurum; & potiùs dominis aureos montes promittentibus, quàm Deo adhærere. Hæc est illa misera seruitus, quam Deus minatur: *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiẽ die ac nocte.* Diuitiæ sunt tales dij, qui requiem non dant suis amatoribus, neque sinunt eos vacare & videre, quàm bonus sit verus Deus. Idcirco Christus disertè affirmat: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Errant ergo quicumque hoc facere tentant. Tentant autem innumeri; qui si hos, quos enumerauimus, diuitiarũ fructus expenderent, profectò numquam de sua paupertate, vel de opibus amissis conquererentur.

Ierem. 16. 13.

Luc. 16. 12.

## §. XVII.

### *Constantini Manissis de auro elogia, quod malè pro Numine colitur.*

Potiùs exclamarent in modum Constantini Manassis, qui cùm stragem captiuorum à Chagano Scytharum rege, miserandâ scenâ editam, ob illiberalem Mauritij Im-

In Annal. num. 137.

peratoris parcitatem, immò sordidam & crudelem auaritiam, describeret, in hæc verba prorupit. *O aurum tyranne crudelis, hominum persecutor, audacissime, fraudulente, arx malorum omnium, castellum perniciei, vastator vrbium, propugnaculorum euersor, murorum dilacerator, oppidorum oppugnator, odium succussor, qualibus malis mortales diuexas! Nulla res in hominum vita tecum in certamen descendere potest: nulla res terrena tecum potest in comparationem venire. Durum emollis, mollem induras: linguam mutam soluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac vicissim de tardo volucrem. Corda inflammas, & voluptate quadam demulces; sensus illecebris ineuitabilibus, ceu præstigijs quibusdam excantas: cùm interim venustas illa tua, non minùs veneno suo, quam vipera noceat. Leges & iura proculcas; verecundiam & pudorem abigis, sepulchra violas, parietes perforas. Nihil non habes venale, nihil non prodis. Nimirum friuolum quiddam est, ac fabula mera, vulgò quod dicitur; adamantem solum sanguine molliri. Quid enim esse te possit efficacius, etiam in saxis emolliendis?* Hæc Constantinus Manasses, quæ sunt verissima. Aconita, quia de veneno sunt infamata, nemo pro la-

ctuca

ctuca comedit: aurum tot titulis noxium homines adhuc gestiunt deuorare? semper famelici, numquam satiandi. Et, quod peius est, in ipso morbo, se sanos esse rati. Nullum enim ex omnibus inuenies, qui se auarum esse fateatur; plurimos tamen, qui sint sub hac idolorum seruitute; nec enim Numinum, sed idolorum. *Qui est enim*, ait Arnobius, *qui credat, esse deos Lucrios, & lucrorum consecutionibus præsidere, cùm ex turpibus caußis frequentißimè veniant, & aliorum semper ex dispendijs constent?* Et paulò infrà. *Quis deam Pecuniam esse credat, quam, velut maximum Numen, vestræ indicant litteræ donare annulos aureos, loca in ludis atq; spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, & quod maxime pigriament, securum per opulentias otium?* Auari hanc Ethnicorum insaniam ab inferis reuocant; Deum verum spernunt, nummum pro Deo colunt; & hinc non solùm stulti, verùm etiam impij; qui oderunt, quod colendum, & volunt, quod execrandum.

Arnob. lib. 4. aduersus Gent.

# CAPVT VI.

*Immodica & ſtulta diuitiarum cupiditate, homines iram, vindictamq; DEI, & diuitiarum amiſſionem promereri: quamquam ex hac amiſſione nemo debeat iudicari.*

## §. I.

*Parabola de auri cupiditate ſapientiam deſtruente.*

NOn contemnendæ ſunt parabolæ, apud Syros olim frequentatæ, ab ipſo Seruatore noſtro vſurpatæ, & à SS. quoque Patribus adhibitæ ad declarandas rerum veritates, quæ in ſimilitudine explicatiùs planiuſque perſpiciuntur. Itaque inter parabolas numero, quod Beda his verbis narrat. *Eſt auis quædam in India partibus, prope ſolis ortum, viginti alas habens, cuius voce audita, omnes ſomno & ſopore ſopiuntur: cuius vox per mille paſſus auditur. Huius auis magna vocabulum eſt Goballus. Eſt autem lapis in mari Oceano miri decoris, qui aliquoties apparet, aliquoties verò arenis præoperitur. Hæc autem auis cùm aniculam genuit nimis pulchram ac ſonoram, videns lapidem*

Ven. Beda in Collectaneis SS. PP.

*dem in mari, sereno die, radiantem, illius desiderio rapitur, & volat, vt capiat eum, qua dum adhuc alas extendit, lapis arenis tegitur. Est autem cetus in mari magnus valde, qui cùm viderit Goballum ad lapidem volantem, statim accurrit ad nidum huius, & auiculas auferens deuorat: & veniens Goballus in æstu nimis recurrit ad nidum, quoddam solatium sui laboris putans reperturum: & inueniens nidum vacuum, septies clamat: ita vt non solùm ingentes lachrymas fundat; sed & omnes, qui eum audiunt, se à lachrymis cohibere non possint. Tunc se ipsum in profundum mergit, & moritur. Et tu homo Goballus habens naturam decoram nimis, quæ generat sapientiam venustam. Lapis autem in mari, amor diuitiarum est, qui seducit hominem: & relicta sapientia, volat ad diuitias congregandas. Cetus autem in mari, stultitia est, qui aufert sapientiam simul cum diuitijs. Stultitia nascitur, & homo perdit sapientiam, perdit diuitias, & infelici rapitur morte.*

Ita quidem strictè, sed congruè parabolam hanc exponit venerabilis Pater. Verè enim Goballo similis est homo, cui plurimas alas dedit Deus, quibus ad cælum euolet. Nam & per orationem, eleuata mente; & per ieiunium extenuato ac agiliore facto corpore;

& per

& per eleemosynas; & denique, quot sunt beatitudines, per tot alas potest ad cælum euolare; nec non & per pœnitentiam, perq; amorem Numinis, perque omnia diuina sacramenta. Sæpe vox eius longè latéque auditur, quæ alios sopit, instar Sirenum, aut instar nutriculæ ad cunas cantantis. Cùm enim alioqui alij clamantium vocibus excitentur, Goballus iste ita de thesauris diuitijsque blandè loquitur, vt alij, lenocinijs illius sopiantur, iuxta illud: *Dormierunt somnum suum viri diuitiarum*, in quibus quantumcumque anxij & laborantes, sibi tamen acquiescere videntur. Cur autem *amor diuitiarum* lapidi comparatur? Nimirum, quia animam cælo natam deorsum ad terrena trahit & aggrauat, vt si *suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*. *Amor* autem ille *diuitiarum* aliàs occulitur, aliàs manifestè apparet, & videtur multis splendere adeò, vt eos excæcet, & stultos efficiat, priuetque omni sapientia miserandum in modum, meritò deplorandos. Denique Goballus iste *seipsum in profundum mergit, & moritur. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt*

Pſal. 75. 6.

Matth. 18. 6.

1. Tim. 6. 9.

*mergunt homines in interitum, & in perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.*

§. II.

*Quantis auari stultitijs decipiantur?*

Quanta hæc auaritiæ deceptio est? dum sibi sapere videtur, stulteſcit; dum coquit fraudem, perdit fidem; dum delicias procurat, incidit in spinas; quæ velut Charybdis semper vorat, numquam satiatur; de pauperum peculio semper egentior; de præda innocentum rapacior; &, si cetera deessent, hoc solo nomine execranda, quia quò potentior, eò est sceleratior. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Neque malum culpæ duntaxat ex hac radice germinat, sed etiam malum pœnæ. Estque primò hæc ipsa magna auaritiæ pœna, esse malarum libidinum, & vitiorum omnium procuratricem; esse seminatricem tentationum; esse textricem laqueorum diaboli; esse causſam eorum, *quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Secundò tamen etiam innumeris hominem curis, & miserijs flagellat. In quem finem Simplicius ait: *Auari totum vitæ tempus circa lucra laborantes cum conster-*

*natione,*

Simplic. in Enchirid. Epicteti.

*natione, vigilijs, ac formidine semper adiuncta, nullum vsum, nullam delectationem à pecunijs capiunt, & quanam hac fuerit iustior ac vberior pœna?* Tertiò, quod pauci agnoscunt, tum maximè diuitibus metuendum est, cùm maximè sibi videntur esse felices. Siquidem *fortunantur etiam aliquando pessimi ad infortunij maioris apparatum. Numquam tuta est felicitas sontium. Per somnium quidam fur monitus discedere à muro, recedens vidit statim corruentem. Putabat jam gratum Deo furtum, donec aliter edoctus vidit se reseruari cruci. Quare sæpe maxima ira Dei est, locupletare malos, & licet festino supplicio, satis sæuit.* Quia dum prodit quasi ex adipe iniquitas eorum, flammis acrioribus reseruantur.

Ioan. Eusseb. Nierenbergius in Theopolitico, c. 9

## §. III.

### *Meritò amittere diuitias, qui eis immeritò inhiant.*

Quartò tamen iras cælestes prouocant, vt, in quo peccant, in eo ipso puniantur. Dum diuina Nemesis opes malè congestas diruit, & ianuam furi, viam hosti aperit. Sæpe enim auaris eripiuntur opes, vt quibus cupido augebatur diuitijs, pauperie minuatur. Et quia ab incunabulis egestati assueti plerumq; inopiam patientiùs ferunt, quàm

ferre

ferre didicerunt; illi autem qui in abundantia enutriti, prouidentiam Numinis accusant, quando spoliantur; cùm pœnam non agnoscant quam se putant non meruisse, detegenda sunt hîc altiùs consilia diuina ex litteris diuinis. Apud Ieremiam ita loquitur Dominus: *Et transibunt domus eorum ad alteros, & agri, & vxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus.* Cur extendes manum tuam, ô Deus? Respondet ibidem: *A minore quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student & a Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Appetuntur opes ardentissima siti, ad explendas ferè voluptates, aut ad diuitiarum iactantiam, hinc meritò subducuntur, tamquam ligna incendijs. *Argentum eorum foras proijcietur,* ait apud Ezechielem Deus, *& aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos, in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam:*

Ierem. 6. 12.

Ezech. 7. 19.

*ditiam: & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impijs terræ in prædam, & contaminabunt illud.* Impij vocantur hostes, quia, etsi apud eos non sit moderatior amor habendi, sed multò flagrantior, vult suos Deus aliena auaritia castigare: vt dum aliorum violentam lamentantur cupiditatem, suam quoque agnoscant. Diripit eos hostis, quia fortior; at & ipsi pauperes diripuerunt, quia fortiores fuerunt. Amittunt iure, quod iniuria acquisierunt. Venatio leonis onager in silua, sic pascua diuitum sunt pauperes. *Sedet in insidijs, cum diuitibus, in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.* Segetes & messes, labores & sudores pauperum, præda sunt diuitum. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperum. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.* Neque enim quibus cælum promisit, eorum prædones dimittet impunitos. *Stat ad judicandum Dominus, & stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius: Vos enim depasti estis vineam, & rapina pau-*

Psal. 9. 30.

Isa. 3. 13.

*pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?*

## §. IV.

### *Hominum exemplo, Deum ad auaritiam plectendam inuitari.*

Hoc æquum esse, sapienter Metellus Numidicus, in censura, populo demonstrauit, his verbis: *Dij immortales plurimum possunt, sed non plus velle debent nobis, quàm parentes; si pergunt liberi errare, bonis exhæredant. Quid ergo nos à dijs immortalibus diutiùs expectemus, nisi malis rationibus finem facimus? Iisdem deos propitios esse æquum est, qui sibi aduersarij non sunt.* Qui ergo opibus, quas à Superis habent, Superos offendunt, digni vtiq; sunt, vt exhæredentur. L. Sylla, victo ad Chæroneã Archelao Mithridatis duce, Thebanos, qui cum Mithridate fecerant, dimidio agri multauit. Et passim Romæ, qui pro criminibus grauioribus supplicio censebantur afficiendi, illorum quoque bona, ob criminis detestationem, publicata fuerunt. Sic domini supplicium, bonorum publicatio sequebatur. Vnde, Tarquinio rege eiecto, ager, qui Tarquiniorum quondam fuerat, Marti dicatus, *Campus Martius* dictus est. C.

AGellius l. 1. Noct. c. 6.

Plutarch. in Syll.

Idem in Poplicola.

Alex. l. 3. c. 23.

Cassij domus, cui ob affectati regni crimen dies perduellionis dicta fuit, euersa, area ante Telluris ædem facta est. Domus præterea M. Manlij Capitolini, quæ quondam in arce fuerat, qui suspicione regni pœnas dedit de saxo deiectus, ædes atque officina Monetæ fuit. Cùm Marcellus quidam nequam & criminosus, qui in ganea & lustris vitam egerat, propter latrocinia sordesque vitæ capitali supplicio pœnas dedisset, bonis publicatis, in ipsius domo ab Æmilio & Fulvio censoribus macellum, vbi obsonia venderentur, locum extructum ferunt. P. Clodius Tribunus plebis Ciceroni in voluntarium exilium fugienti aqua & igni interdixit, eoque exterminato, villas eius incendit, domum incremauit, & areæ ædem Libertatis inædificauit, reliqua bona hastæ subiecit, quæ quotidie proclamauit. Themistoclem, vt suprà memini, cùm in adolescentia minùs probatis moribus esset, proprij parentes exhæredarunt. Hoc homines faciunt: hoc faciunt parentes: quin & domini, qui ignauis seruis, & duces, qui militibus fugitiuis stipendium subducunt. Et Deus parcat, cùm videt eos, quos omnibus bonis circumuallauit, tam improbos & ingratos,

Plutarch. in Cicer.

Prob. in Themistocle.

gratos, iniuſtitiaq; plenos? immò ipſis bonis in malum abutentes?

§. V.

## *Non tamen more hominum diſſimulari à DEO hominum auaritiam.*

Apud mortales ſanè opulenti, licet maximè rei, plerumq; euadunt, vel quia iudices pecunia corrumpit, vel quia terret authoritas; & certè, *ſi poßibile eſſet in diuites vindicta procedere, videres ex eis repleri carceres vniuerſos*, ait S. Chryſoſtomus, *ſed cum omnibus malis ſuis hoc malum habent diuitiæ, quòd in malignitate peecantes ab vltionibus eruunt.* Apud omnipotentem autem iudicem, quem nihil latet, nihil terret, nulli diuites effugiunt pœnam quam meruerunt. *Peccatores perſequitur malum: & juſtis retribuentur bona. Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes: & cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris.* Sic diuina æquitate Ægyptiorum diuitiæ translatæ, diuq; per Ægyptios iniquiſſimè preſſis datæ ſunt Iſraelitis: ac paulò antè ijſdem Ægyptijs magnæ clades illatæ ſunt, *& percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine vſque ad iumentum: cunctamq; herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit.* Quod

S. Chryſ. in ep. ad Hebr. ſer. 2.

Prou. 13. 21.

Exod. 9. 25.

& per locuſtas & per alias plagas fecit. In nouo quoque Teſtamento permiſit Chriſtus dæmonibus intrare in gregem porcorum, *& ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.* Ecce dator bonorum permiſit hominum hoſti vt tantum damnum inferret, gregem totum vno impetu perditum iret. Quid ita? Quia, vt ait Ianſenius, Geraſeni erant Iſraëlitæ, quibus lege prohibitum erat, carnes porcinas manducare; quare contra legem ſuam, & Dei voluntatem, gregem porcorum alebant. Iniuſtam igitur poſſeſſionem iuſtè diſſipauit. Filio quoque prodigo, nonnè profuit, quia *cœpit egere?* Idcirco enim *in ſe reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quàm multi redeunt ad Deum, cùm paupertatẽ ſentiunt? Quàm multi, qui antea delicijs abundabant, neque ante, neq; poſt prandia, aut cœnas dignati ſunt bendictionem à Deo exorare, aut ei gratias agere? ſpoliati autem quanto nunc affectu dicunt: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem, ſeu quotidianum, da nobis hodie?*

Matth, 8. 32.

Luc. 15. 14.

Matth. 6. 11.

§. VI.

## §. VI.

### *Exempla punitorum ob auaritiam.*

Et quoniam diuites, cùm se satis habere existiment, non admodum frequenter aut feruidè orant: *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie;* illud saltem prouidit Deus, vt pauperes, qui ab illis stipem accipiunt, pro illis orent. Quia verò sæpe contrarium accidit, vt non pauperes à diuitibus, sed diuites à pauperibus accipiant, siue per vim, siue per fraudem; mutatur quoque genus orandi, & pro benedictione maledictio à Deo petitur, & impetratur. Audit enim clamores pauperum Deus; & voces lamentantium nubes ac cælum penetrant. Hac de causa euersum est olim à barbaris Romanũ Imperium, tunc nimirum, quando in capite delictorum fuit auaritia. Ea scilicet erant vota, eæ preces egenorum; quod Saluianus testatur. *Iam verò illud*, inquit, *cuiusmodi, aut quàm graue; genere quidem dispar, sed iniquitate non dispar: nisi fortè in hoc dispar, quia maius: proscriptiones dico Orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces; qui ingemiscentes quotidie ad Deum, finem malorum imprecantes; & quod grauissimum est, interdum vi nimiæ amaritudinis, etiam aduentum ho-* Saluian. l. 7. p. 72.

*stium postulantes, aliquando à Deo impetrauerunt, vt euersionem tandem à barbaris in commune tolerarent, quam soli antè à Romanis tolerauerant.* Legantur veterum annales, inspiciantur historiæ: cælum, terra, omnia elementa reperientur pro Deo pugnasse, atque diuitias impiorum pessum dedisse. Cedrenus refert, initio Imperij Michaëlis Paphlagonis, grandinem impetu intolerabili delatam, non frugiferas modò sterilesque arbores confregisse, sed domos quoque deiecisse, & templa ac segetes vitesque solo allisisse. Vnde summa sterilitas est secuta. Sub Iuliano Imp. apostata, Alexandria maris æstu sic inundata est, vt eo in locum suũ regresso, in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ. Diem eum, quo recessit, inter anniuersarios sacrum deinceps celebrarunt Alexandrini, & Deo pro liberatione gratias egerunt, qui cum homine malo malam quoque abduxit tempestatem, quam is ipse adduxerat. Quod plerumq; fit. Nam, vt Sigonius scribit, Anno salutis 589. Italia ab Authari Longobardorum rege miserè afflicta, quasi affligentis delicto contaminata balneo indigeret, continuis imbribus, Octobri mense cælo effusis, tanta aquarum illuuies

Niceph. l. 10. c. 35.

Carol. Sigon. lib. 1. de regn. Ital.

illuuies Italiam totam inuasit, quantam post antiquum diluuium nulla hominum, aut litterarum memoria prodidit. Nam exundantibus amnibus non campi solùm passim in stagna conuersi, & viæ itineraq; confusa sunt, sed tecta etiam subruta, atque homines passim, pecudesque nullo discrimine perierunt. Veronæ Athesis amnis ita creuit, vt aqua ad ædem D. Zenonis peruenerit. Quod verò pro insigni miraculo S. Gregorius scripsit, Authari ipso rege spectante, aqua apertis templi januis irruens, templũ tamen ipsum non inijt: & paulatim crescens vsque ad fenestras, quæ proximæ tecto erant, euasit. Qui verò in templo remanserunt, cùm elabi inde non possent, aquam tamen ad januam templi venientes hauriebant, neq; ab eius impetu aliquid noxæ accipiebant. Ea ædes fuit, quæ hodie in ripa Athesis sita Oratorium S. Zenonis vocatur. Templo ipso incolumi, tamen muri vrbis vi aquæ multis in partibus subruti procederunt. Quin etiam Romæ Tyberis exitu Octobris adeò intumuit, vt super mœnia scandens altiores quoque vrbis regiones latè omnes obsederit. Itaque non solùm innumerabiles domos subuertit, sed horreis

etiam Eccleſiæ deturbatis frumenti numerum ingentem corrupit. Quodque homines nouo ſtupore defixit, magna ſerpentum turba cum ingenti dracone, ſecundo flumine, in mare delapſa, quæ pòſt ſalſis fluctibus hauſta, & ad littus eiecta intuentibus omnibus memorabile ſpectaculum edidit. Quot tunc terræ fructus, quot iumenta & alia animalia, quot veſtes, quot domos, quot theſauros putemus perijſſe? quemadmodum & in alijs ſimilibus pluribus cladibus, de quibus in libro de Mundo & Mundi partibus egi. An fruſtra Deus tales plagas immiſit? Digni erant homines, priuari opibus, quarum abuſu dignis Deum honoribus priuauerunt.

## §. VII.

### *Militiæ auaritia cur? & quo modo à Deo plectatur?*

Neque rex tantùm in cauſſa fuit, quo diuinus judex fortè tamquam flagello vſus eſt, ſed ſæpe populus ipſe oppreſſus, à Superis eiuſcemodi pœnas extorſit, ſæpe etiam meruit; neque rarò, vt communi clade plecterentur, omnes à ſummo ad imum peccauerunt. A ſummis incipiamus. Tales enim Iudæorum principes deſcribit Iſaias his

his verbis: *Canes impudentißimi neſcierunt ſaturitatem*, quantumcumque edant, bibant, corradant, *ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiã*, nec interrogauerunt, quid fas, quid nefas eſſet, ab ouibus exigere: *omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſq; ad nouißimum.* Summi vt nouiſſimos degluberent; nouiſſimi vt ſummos deciperent, atq; ita vtrimque fierent rei. Domi belliq́ue, in curijs & caſtris auditur vox illa: *Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò ampliùs.* Hinc ventres pinguedine & omento loricatos ferre nec validiſſimi equi poſſunt; ſellæ ipſæ, in quibus pergræcantur iſti Bacchi potiùs, quàm Martis alumni, rumpuntur; & plura pocula, quàm tela circumferuntur; plura conuiuia, quàm prælia numerantur; ſplendet argentum in menſis, ferrum rubigine ſordet in vaginis. Hæc vita ſine diuitijs non agitur; diuitiæ non ſufficiunt, niſi militibus decedat, quod ducibus accedit. Eunt igitur milites, & ruſticos deprædantur; duces, vt ſit *ſicut hodie, ſic & cras, & multò ampliùs*, militum ſtipendia interuertunt. Ita non ad præliandum, ſed ad ſpoliandos miſeros animantur. Sic Iſa. 56. 11.

merentur, quod alijs faciunt, pati viciſſim,
Matth. 7. 2. juxta illud: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Hoc eſt, quod per Prophe-
Iſa. 33. 1. tam minatur Dominus: *Væ qui prædaris, nonnè & ipſe prædaberis?* Hoc eſt, quod multi iniuſtè lamentantur, quando omnia plauſtra, & prædæ, quas multis annis comportarunt, in hoſtium manus incidunt, repentè è Crœſis Iri & Codri facti. Neque militiæ duntaxat iſta, ſed etiam domi contingunt; vbi potentes nonnulli ſoli volunt terram poſſidere, quæ egenis gementibus, & pauperibus oppreſſis ſedebit deſolata. Nam id-
Michææ 2. 2. circo potentes Dominus ſinit vaſtari. Michææ teſtimonium audi: *Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domũ eius: virum & hæreditatem eius. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum: vnde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſſimum eſt.* Tempus planè peſſimum, quo per mille fraudes agri, horti, ædes, totæ hæreditates inuaduntur, & iura omnia ſeponuntur; nullâ reuerentiâ maiorum, nullo reſpectu fundatorum; nullo metu Dirarum, quas priuilegiorum à ſe datorum violatoribus

bus proaui, aui, parentes sunt imprecati. Quorum tanta fuit pietas in destinando, tanta liberalitas in largiendo, tanta solicitudo in prouidendo, vt eorũ maledictiones & imprecationes meritò exauditæ, in filios ac nepotes adducantur; qui dum auferunt, quod eorum progenitores cœnobijs, templis, ædibus & viris Deo sacratis, denique ipsi Deo consecrârunt, digni sunt, vt & quæ bonis titulis habent, amittant. *Væ qui prædaris, nonnè & ipse prædaberis? In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nam illi, qui vobis Deum placare, qui preces, qui sacrificia pro vestra incolumitate offerre deberent, oppressi, victu, vestitu, rebus ad vitam necessarijs priuati, dum manus ad cælum tendunt, & caussam suam agunt, vos, si non verbis, tamen egestate sua accusant. Fames, sitis, nuditas, quidquid pro illis clamat, contra vos clamat. Si enim, Domino vetante, in crastinum solliciti esse non debetis, cur auaritia vestra in annos, in sæcula cumulat thesauros? cur, vt posteris vestris bene sit, malè vos agere vultis? Tantusné est in vobis posteritatis amor, vt velitis filios vestros damnatione parentum fieri fortunatos? immò infortunatos?

Isa. 33. 1. Matth. 7. 2.

§. VIII.

## §. VIII.

### *Ecclesiastica bona inuadens auaritia pauperta. te punita.*

Siquidem paupertas sæpe iustissima pœna est auaritiæ. Quasi qui oleo incendium vult extinguere, ita desipit, qui vult, iniustis pecunijs, suam imminuere paupertatem; iustâ enim Dei pœnâ illam augebit, benedictione diuina subtracta. Sed præcipuè amittit etiam sua, qui ad se trahit bona Ecclesiarum, ea enim alijs apposita etiam iustis bonis, id agunt, quod accipitris pennæ appositæ pennis columbarum. Dicuntur siquidem hæ ab illis mirabili vi naturæ consumi. Clarissimo id exemplo ostendit Sanderus, qui refert, Anno Christi 1543. quo argenteus nummus, in Anglia, purgatissimus, ab Henrico VIII. in æreum conuersus est, manifestâ Dei vindictâ, rapinas sacrilegiaq; regis esse punita. Erant in Anglia ingentes monasteriorum thesauri; & vel decima eorum pars auarissimi cuiusque regis mentem explere potuisset, nisi insatiabilis omnino cupiditas fuisset, ac fundo caruisset. Igitur Henricus, *cùm thesauros vbique omnes, cùm cruces argenteas, aureas, omniaq; sacra vasa, cùm altarium ornamenta, cùm*

Nicol: Sanderus de Schismate Anglicano An. 1543.

cùm omnem supellectilem mille panè monasteriorum, cùm omnia prædia, fundos, fructus, jura & actiones in suam potestatem redegisset; cùm præterea decimas, & annatas omnium beneficiorum, per vniuersam Angliam, exigeret; & adeò, cùm ipsum plumbum, ligna, atq; lapides monasteriorum vbiq; venderet, ex eoq; debuisset in æternum omnia ciuibus suis tributa & vectigalia remisisse (id quod se facturum simulabat, vt ciues eò libentiùs in monasterijs euertendis ipsius libidini assensum præberent) immò cùm debuerit quocumq; Christiani orbis rege argento præsertim & auro ditior extitisse: adeò tamen in contrarium ea res, ex Dei justißima voluntate, cessit, vt multò pauperior intra paucos annos, post expilationem istam, fuerit, quàm vnquam antè aut ipse, aut maiores eius fuerunt. Quin ille solus plura tributa & vectigalia ciuibus suis imposuit, quàm omnes simul reges, per quingentos antè annos, fecerunt. Cùmq; stantibus adhuc monasterijs, vulgò pseudoeuangelici iactitarent, neminem, in Anglia, pauperem (mendicum) deinceps fore, si semel claustra sacra dirumperentur, & thesauri, quibus Abbates incubarent, prædiaq; & agri, quibus pauci jam monachi alerentur, in manus plurium deuenirent; adeò nihil eorum reipsa extitit, vt pro singu-

*singulis, qui antea ostiatim victum quæritabant, nunc viginti ad minimum, non modò idem vitæ genus sequantur, sed etiam, quod miserrimè quæritant, interdum vix inueniant.* Hæc Sanderus.

## §. IX.

### *Quinam auari Ecclesiastica bona invadant?*

Video, quàm periculosa res sit, hîc epimythion addere. Nimis magnus est numerus humana diuinis, terram cælo anteferentium, & non iam, *primùm regnum cælorum quærentium*, sed *rationi Status*, vt vocant, omnia subijcientium. Apud quos, *virtus post aurum*, Ecclesia post marsupium sequitur; apud illos religio Reipublicæ, & quæ Dei sunt, Cæsaris, non quæ Cæsaris, Deo debent seruire. Nimirum atheorum hæc sunt principia, & eorum fundamenta, qui omnia pecuniæ caussa faciunt, & existimant, religionem, ad terrores duntaxat populi, esse excogitatam. Cùm ergo religionem & res Ecclesiæ nihili faciant, magisque temporalia bona ament, quàm æterna; facilè res Deo dicatas suis vtilitatibus accommodant, atque honestatē omnē postponunt commoditati. Nemo ex his est, qui non *addit*

Matth. 6. 33.

Matth. 22. 21.

*dit ſuper peccata ſua blaſpemiam*, vt in Iobo dicitur, & prætextum inuenit, quaſi Eccleſiaſtica libertas commodis ſæcularium, & non potiùs hæc ſeruire debeant Eccleſiaſticæ libertati. Contra hanc vtilitatem tam noxiam quisquis, vel in curia conſulit; vel in concione diſſerit, vel in libris ſcribit, dicitur ſeditionem excitare. Vſque adeò impietas inualuit, vt etiam publica illius patrocinia ſuſcipiantur, & pœnam timere debeat, qui eam impugnat. Sed nondum eò progreſſi ſunt Principes Catholici, quibus mens eſt generoſa, & Deus charior, quàm nummus, vt pecuniam conſcientiæ poſthabeant. Illis ergo exemplum Henrici regis fidentiſſimè poteſt inculcari, qui tota ad ſeſe trahunt Chriſti patrimonia; qui nullum inter ſacra & profana faciunt diſcrimen; immo à Dei ſeruis, plura exigunt, quàm à ſæcularibus; eosque ſinunt famere, cùm ipſi quotidie ad vomitum vſque epulentur; nec antè deſiſtunt, quàm eos migrare ac ſolum vertere compellant. His, inquam, exemplum regis Henrici ſæpius eſt recenſendum, vt intelligant, non modò viam ad pecunias non eſſe, per ſpolia Eccleſiarum; verùm etiam opes certiùs non amitti, quam ſi

Iob. 34. 37.

de

de patrimonio Christi, per varias artes ac prætextus, accumulentur. Nos Deo, non Deum nobis seruire oportet. Quare neque, vt nostræ fortunæ & thesauri augeantur, minuenda sunt, quæ maiores ad animæ suæ emolumentum, Deo donauerunt. Illi dando Ecclesijs semper locupletiores effecti sunt, hic modus est perueniendi ad diuitias. Qui autem Ecclesias, qui monasteria, qui ædes sacras spoliauerunt; neque spolia retinuerunt, & insuper etiam, quæ antè habebant, perdiderunt. Quia, vt in

Prou. 13. 21. prouerbijs est, *Peccatores persequitur malum; & iustis retribuentur bona. Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.*

## §. X.

### *Causſæ complures, ob quas Deus auaros militiæ duces sinit depauperari.*

Atque vt ad nostros mores veterum exempla comparemus, nonnè quod olim statum Imperij, in occidente, per barbaros euertit, id ipsum quoque nostra ætate fieri audimus, videmus, experimur? Non igitur mirandum est, si pœnas similes infligi videamus, vbi paria sunt delicta, Vbi peccata peccatis æquantur, debent etiam clades cladibus

dibus æquiparari. Quid enim iustus iudex & mundi Rector agat, si summam in tribunis & centurionibus videat cupiditatem, quam meritò summam esse ostendit summa crudelitas? Quemadmodum enim militum auaritiam prodit rapacitas, quæ sine misericordia obuios quosq; in via spoliat, domi expilat; ita & milites militum prætores, fame emori sinunt, si vel commeatum, vel stipendia negant, & eos tamen excubare, viglare, vitam & sanguinem exponere cogunt. An Deus impunè sinat ire tot nomina exactionum, contributionum, & familiarum, & familiarium? morionum, ludionũ, lenonum, & meretricum? tot stabula equorum, asinorum canum? vt, ad venandum, non bellandum exisse putes. Abominatur hæc Dominus, & omnes participes, omnes conscios iustissimè sinit diuitijs excidere, quæ rarò transeunt ad tertium hæredem. Quid quòd multi nobiles, multi præfecti, multi in alijs officijs positi duri sunt & contumelioſi in suos subditos, quos tondere, quàm regere malunt. Hinc & illos hostis omnibus fortunis exuit, non rarò etiam vitâ. Quin & Deus plures ex improuiso aufert. Hinc cùm maximè opes in tuto pu-

Luc. 12. 19. tant, cùm dicunt animæ ſuæ: *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare,* tolluntur, rapinis ſuis non fruuntur; & ad ſupplicia luenda rapiuntur. Quid quòd neque ciues, neque ōpifices, neque coloni ſemper opibus ſuis digni ſunt, quas per artes malas, per fraudes, per mendacia, per furta, acquiſiuerunt? Nonnè iuſtus eſt Deus, ſi malè parta malè perdat? ſi hoſtibus ſuis hoſtes immittat? ſi ignes accendat & incendia ſuſcitet? ſi aquas congreget & diluuia explicet? ſi procellas multiplicet & naufragia procuret? Si muſcas, ſi erucas, ſi locuſtas producat, & omnia vaſtet? deniq; ſi grandine ſata læta boumq; labores percutiat? hoſtes ſuos in his omnibus percutit; auaritiam plectit, docetq;, beatam vitam, in auro & argento non reponendam. Deniq; qui ſæpe immiti cahinno mendicos irriſerunt, aut à ſe vacuos dimiſerunt, iuſtiſſimâ Numinis ſententiâ incidunt in paupertatem, vt & ipſi riſum ac ſarcaſmum experiantur, iuxta illud Prou. 14. 19. *Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iuſtorum.*

## §. XI.

*Dari diuitias, & auferri bonis æquè ac malis.*

Hat

Hæc cùm ita sint, neq; habent causſam vt diuitias appetant, qui non habent; neque vt defleant, qui amiserunt. Dei enim nutu & acquiruntur, & amittuntur. Itaque *omnia ista nobis accedant, non hæreant: vt si auferantur, sine vlla nostri laceratione discedant. Vtamur illis, non gloriemur, & vtamur parcè tamquam depositis apud nos*; quæ si repetantur, sine dolore dimittamus. Non enim malis tantùm bona hæc auferuntur, aut dantur; sed etiam bonis. Vnde & supplicium aliquando, & beneficium est, amittere; sicut pœna vel præmium, adipisci. Nemo igitur, si spoliatur, iudicari debet, quasi meruisset spoliari. *Alia sunt dona quæ dat Deus & inimicis suis*, ait D. Augustinus, *alia quæ non seruat nisi amicis suis. Quæ sunt dona, quæ dat inimicis suis? Ea quæ numeraui. Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessarijs; aut soli boni vel salui facti sunt, vel ab ægritudine conualescunt, aut soli boni filios habent, soli boni pecuniã, soli boni cetera apta huic vitæ temporali atque transeunti. Habent hæc & mali, & aliquando desunt bonis, sed desunt & malis, & plerumq; istis magis quam illis, aliquando illis potiùs abundant. Permixta ista temporalia Deus esse voluit, quia si bonis so-*

Senec. ep. 81.

S. Augustin in Psal. 66.

*lis ea daret, putarent & mali propter hæc colen-*
*dum Deum. Rursus si ea solis malis daret, ti-*
*merent boni infirmi conuerti, ne ista illis forte*
*deessent. Est enim adhuc anima infirma minùs*
*capax regni Dei, nutrire illam debet Deus agri-*
*cola noster.* Et paulò pòst. *Propterea dilectis-*
*simi, vt dicere cœperam, si solis bonis darentur*
*ista, omnes propter hæc accipienda vellent con-*
*uerti ad Deum. Rursus si solis malis darentur,*
*timerent infirmi, ne cùm conuerterentur, hæ-*
*mitterent, quod soli mali haberent. Permitti-*
*data sunt, bonis & malis. Rursus si solis auferen-*
*rentur, idem ille timor esset infirmorum, ne*
*conuerterentur ad Deum. Rursus si solis malis*
*auferrentur, ipsa sola pœna putaretur qua ma-*
*plectuntur. Quòd ergo dat ea bonis, consolatur*
*itinerantes: quòd dat ea & malis, admonet bo-*
*nos, vt alia desiderent, quæ non habent cum ma-*
*lis communia. Rursus bonis aufert ea quando*
*vult, vt interrogent se de suis viribus: & inue-*
*niant se qui fortè latebant se, vtrum iam possint*
*dicere; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut*
*domino placuit, ita factum esse, sit nomen do-*
*mini benedictum, &c.* Quemadmodum igi-
tur qui diuitias amisit, existimare debet
eas in manu Dei fuisse, qui dum subtraxit
data, non subtraxit datorem, sed vel ea

subtra-

ſubtraxit, quæ ipſe calcabat, vel quæ præpoſterè adorabat; ita quiſquis videt alterum ad inopiam redactum, non illicò iudicare debet, id eum ſuis peccatis meruiſſe. Spoliatus eſt & Iob: num meruit ſpoliari? Nequaquam, ſed ſpoliatus eſt, vt virtutibus ditior fieret. Ita & de alio, & niſi tibi malè conſcius es, etiam de te ipſo cogita. *Arca exinanita eſt auro, cor plenum eſt fide. Foris pauper es, ſed intus diues es. Diuitias tecum portas, quas non amitteres, etiamſi de naufragio nudus exires.* S. Auguſt. loc. cit.

## CAPVT VII.

### *Ipſa Vitia diuitijs pariter, & diuitibus obeſſe: ac proinde vel hinc opes, tamquam ſpinas & laqueos, habendas, immò abijciendas eſſe.*

### §. I.

### *Superbia auaritiæ amica, & inimica.*

INterim verum eſt, auaritiam auaritiæ obſtare; vſq; adeò non modò reliqua illi vitia aduerſantur, verùm etiam ipſa ſe ipſam affligit, dum metetur mœſta perdere, quod iniquè corraſit. Vt autem plures habeat tortores, omnia

ferè etiam reliqua vitia illam impetunt; immò acuunt, vt in acerbiorem illius cruciatum diuitias destruant. Superbia, vt habeat, vnde se iactet, vnde pretiosè vestiatur, vnde dapsiliter epuletur, vnde habitet magnificè, vnde parasitorum & adulatorum turbas alat, vnde totas pompis aulas impleat, auara est. Hac ancilla vtitur, hanc vt filiam adhibet pecuniarum collectricem; immò, ne quidquam monstro desit, hanc colit vt genitricem. Faciunt enim diuitiæ, sine moderatione amatæ & coaceruatæ, superbos; & à superbis, per vices nunc cumulantur, nunc dissipantur. Hæc in vitijs rota est: vt se vicissim generant, ita vicissim quoq; eneruant. Quidam auari sunt, vt possint superbire; & rursus omnia dispergunt, vt superbiant. Neque enim magnifici illi sumtus fiunt, sine profusione pecuniarum. Vnde tam grauis est inter hanc matrem & filiam pugna. Superbia dicit, Eme tibi titulos, eme honorem, eme nobilitatem; Auaritia reclamat, & ait, Tantam pro vno nomine Nobilis, Baronis, Comitis pecuniam expendes? dabis trecentos, dabis quingentos, dabis ter aut quatuor mille Philippæos, vt tantillum ceræ & chartæ Pergamenæ re-

cipias?

cipias? Apud quosdam vincit Auaritia, apud alios Superbia dominatur. Hæc ait, Instrue conuiuium; inuitandus est hic, & ille, & ille, qui scire debent, quantum possis: At illa respondet, Cras, finitis epulis, quid habebis? veniet lanio, aderit caupo, pulsabit ostium, qui aues, qui pisces, qui obsonia volet solui. Superbia non vult tolerare vestes attritas, mittit, qui sericum afferat, qui purpuram venalem inquirat. Auaritia ait: Etiam centones arcent frigus; adhuc vno anno tunica facilè durabit; melius est, non profiteri vestibus pretiosis diuitias; præstat marsupium, quàm pallium auro fulgere. Et mille talia. Quantum feminæ pecuniarum perdant in mundo muliebri, in libro de Monstris ostendi; quantum impendant filij ac filiæ in superbiam, experiuntur miseri parentes. Vno verbo, quidquid reclamet Auaritia, Superbia vult esse sumtuosa; & superbus

*Illecebris capitur, nimiumq; elatus auaro*
*Pascitur intuitu.* Claud. lib. 1. in Ruffin.

§. II.

*Prodigalitas auaritiæ aduersa.*

Trahit plerumque Superbia secum comitem prodigalitatem: prodigalitas autem

diuitijs est inprimis inimica. Iuuenes prodigi, senes auari; illi quia nondum sciunt, quid pecuniæ prosint, nisi plena manu profundantur: isti, quia semper metuunt, ne desit, quo viuant. Demadem Athenienſem non admodum senem fuisse iudices, quia admodum prodigus fuit. Nam pecunias ampliſſimas facilè effudit, mirificamq; pecuniæ vim in res turpes contulit. Lege enim Athenienſium cautum cùm esset, ne quis peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum mulcta indicta ei, qui ludos ederet: Demades ludis suis centum peregrinos, qui saltarent, mercede conductos in theatrum induxit, centies mille drachmis solutis. Fuit qui in meretrices totos modios pecuniarum expenderet; Alexandrina Thais totam iuuentutem Atticam, & cum ea immenſas ad se opes attraxit. Neq; enim cum Demoſthene dixerunt: *Non emo pœnitere tanti.* In leones, in elephantos, in ſpectacula & theatra, quantum argenti expenſum est olim? Marineus, dum Granatæ vrbis in Hiſpania agrum à fertilitate laudat, teſtatur eum ex arborum foliis, è quibus fit sericum, ſingulis annis, vectigal aureorum millium ferè triginta quinque

Pontan. cap. 3. de Magnificentia.

Marin. l. 20. rer. Hiſpan.

regibus

regibus pendere, præter multas serici libras. Hæc nisi emptores prodigos haberent, non venderentur. Sed vestibus maior est excusatio. Vidi, qui multas pecunias daret ijs, qui sibi ab eo barbam prolixiùs pendentem curtari, aut capillos Absolonios tondere, paterentur. L. Neratius, cùm, authore Gellio, pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palmâ verberare; seruum comitem trahebat, crumenam plenam assium portitantem. Et quemcumq; depalmauerat, numerari statim, secundùm duodecim Tabulas, XXV. asses eidem iubebat. Explicari non potest, quantum in minutissimos lapillos, dummodo pulchrè luceant, expendatur, tametsi neque pro sanitate, neque pro re alia seruiant. Nonnè præstat non habere pecuniam, quàm habere & perdere in tales vsus? ideóne sudatur, vt habeatur, quod sic expendi possit?

*Censibus æquantur concha.* Manil. lib. 5. Astron.

## §. III.

### *Ira, pigritia, auaritia quantùm noceat diuitibus?*

Sunt & alia vitia Charybdes nummorum. Ira quid non amisit sæuiens in suum damnum? quas non opes & vrbes euertit furor?

furor? Pigritia quid non neglexit? *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, vt dormias: & veniet tibi, quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus,* vltro obuiam ibit, & instar militis, immò hostis, te spoliabit, ait Salomon. Ac rursus: *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergò æstate, & non dabitur illi.* Et quid daretur illi, qui ait: *Fodere non valeo, mendicare erubesco?* Quanta pretia homines per guttur transmittant, quot thesauros venter hauriat, quis computabit? Multi, quidquid tota hebdomade lucrati sunt, die Dominica, ad cauponem ferunt; saturantur vno die, vt fameant & sitiant tota hebdomade. Quamquam aliquos auaritiæ tyrannis perpetuâ inediâ cruciet. Nam juxta vetus prouerbium, quod Pollux citat:

Prouerb. 6. 10.

Prou. 20: 4.

Luc. 16. 3.

Pollux lib. 6. de rerum vocab.

*Difficilis emptor haud bona emit obsonia.*

Numquam enim audent satis emere, quare neque vmquam satis possunt comedere. Fuit in vicinia hac nostra, qui, cùm mensæ accumberet, tres crucigeros extraxit è crumena, eosque sub hydria posuit, pro cereuisia emenda. Sed antè, quàm emeret, aquam exiguis haustibus bibit. Aqua quia sapuit, cereuisiam non emit. Finito pran-

dio,

dio, aut cœna, monetam in marsupium reponens dicere solebat: *En meos tres cruciferos retinui, Et tamen satis bibi.* Ita Genium suum defraudauit, immò auaritiam suam ipse plexit.

*Tantalus à labris sitiens fugientia captat* Horat. lib 1. Sat. 1.
*Flumina. quid rides? mutato nomine de te*
*Fabula narratur: congestis vndique saccis*
*Indormis inhians, & tamquam parcere sacris*
*Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis,*
*Nescis quid valeat nummus, quem præbeat vsum.*
*Panis ematur, olus, vini sextarius, adde*
*Queis humana sibi doleat natura negatis.*

Sacrum oraculum est: *Viro cupido & tenaci* Eccli. 14. 3. *sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum? Qui acernat ex animo suo iniustè, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis.* Ethnicum audiamus.

*Immunifico scis quid cantari solet: Quod habes, ne habeas.*

Et illud: *Quod nunc non habes, habeas malum, quandoquidem*

Nec

*Nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.*

Cùm interea frugalitate contento bene sit, & ita bene, vt Ioue hospite dignus judicetur. Quales fuêre Philemon, & rustica illa Baucis, qui paupertatem ferendo leuem effecêre.

Horat. lib. 1. ep. 12. ad Icçium.

*Si rectè frueris, non est, vt copia maior*
*Ab Ioue donari possit tibi; tolle querelas:*
*Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus.*
*Si ventri bene, si lateri est, pedibusq; tuis, nil*
*Diuitiæ poterunt regales addere maius.*
*Si fortè in medio positorum abstemius, herbis*
*Viuis & vrtica: sic viues protinus, vt te*
*Confestim liquidus fortuna riuus inauret.*
*Vel quia naturam mutare pecunia nescit,*
*Vel quia cuncta putas vnâ virtute minora.*

## §. IV.

*Inuidia auarum plectens pecuniâ.*

At, ne inuidia fortasse hîc nihil negotij gerere videatur, audite, obsecro, inuidam auaritiam, aut auaram inuidiam. Refert idoneus author Ioannes Nider, à fide dignis hominibus se intellexisse, suoque tempore, Constantiæ accidisse, vt quidam collectis multis

Ioan. Nider lib. 3. cap. 5. Formicarij.

multis nummis argenteis, ijsque partim seruandis, partim dissimulandis, rogaret, in commune valetudinarium admitti, atq; inter pauperes ali. Impetrauit. ibi, velut Tantalus inter aquas, maluit carere delitijs, quàm diuitijs. Itaq; , ne suos nummos cogeretur expendere, pulmentis atque olusculis victitauit, magis nummorum suorum aspectu, quàm ciborum vsu pastus. Postquam satis diu hanc miseram vitam vixit, tandem morbo afflictus, mortem sensit in foribus esse, dolensq; sibi adhuc pecuniam supereſſe, qua neque ipse vsus erat, neq; alios gaudere volebat, mirabile consilium cepit. Siquidem *de farina auena sibi pulmentum impatientissimè clamabat praparandum. Quod cùm factum esset, sedit agrotus solus, more solito, in lecto, & loco micarum panis minutatim spargere cœpit denarios, quos occultauerat, in pulmentum auenaceum,* quasi panem intereret. Quis non diceret, auri atq; argenti *sacram esse famem?* Ne alijs, quod comparsum erat, relinqueretur, ipse deuorauit, sed non sine diuina Nemesi. Nam vbi, arrepto cochleari, auidissimè argenteam offam cœpit ori inferre, illicò suffocatus est; vt eâdem operâ & peccatum, & pœna peccati iungerentur. Quamquam,

vt

vt malum multiplicaretur, etiam amentiæ cum stultitia iuncta fuit. I, auare, *Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.* Condas licet, relinquendum est: deuores licet, relinquendum est, & fortè *hac nocte animam tuam repetunt à te.* Nonnè meritò Dominus talem *stultum* appellauit?

Martial. l. 8.

Luc. 12. 10.

## §. V.

### *Tragicum auaritiæ in se ipsam sæuientis exemplum.*

Nemo sæpiùs scilicet veriusque ludit Heautontimorumenon, quàm auarus; qui & in aliorum exitium viuit, & in suum. Quod plus quàm Tragico exemplo docet Antonius Balinghem. E Martia Polonorum gente non nemo fuit, patria Pultouiensis, cui vita militaris placuit. Castra igitur secutus, complures annos, à domo paterna abfuit, seu prædis, seu stipendijs insigniter ditatus. Tandem Sagum togâ mutare, ac postliminio domum redire statuit, vt acquisita exoneraret, suasque opes cum parentibus communes faceret. Sed quia diuturni temporis absentia magnam in vultu habituque mutationem induxerat, neque noscebat suos redux, neque noscebatur. Iam in conspectu vrbis patriæ erat, cùm obuiam habuit mulierem

Anton. Balinghem in Zoopæd. tit. Hospitalitas.

lierem ignotam, ex negotio in rus egressam, quam, data acceptaque salute, interrogauit: An tales, & tales (& nominauit suos parentes descripsitq;) adhuc in viuis essent, si fortè eos nouisset? Respondit mulier; Et Noui, quia illorum sum filia, & superstites sunt, rectèque valent. Ad quod verbum lætitia plenus miles: Quod benè vertat, ait, Et ego illorum sum filius, ac proinde tuus frater. Cùm in ambiguo staret illa, & intonsum illum quasi dubitans curiosiore aspectu consideraret, miles ex equo desiliens, renudato paulisper brachio, En, inquit, vt me fratrem tuum esse credas, signũ mihi à natura & matre impressum, domesticisq; dudum familiare. Agnito signo, soror præ gaudio exilit, fratriq́ue, ambabus manibus in collum iniectis, faustum reditũ gratulatur; quem multis quæstionibus fatigatum, & longo sermone detentum, tandem bonis auibus porrò pergere jubet ad parentes, qui illum nihilo magis essent agnituri; dum, peracto ipsa foris negotio, postera luce, eo esset, sicut maiore, ita & jucundiore otio fruitura. Ita in diuersum viam prosequuntur, illa ad pagum, ille ad vrbem, Vti prædixerat soror, ita euenit.

Nam

Nam vbi domum redijt miles, neque à patre fuit, neque à matre agnitus. Hospitium nihilominus petijt; neque negatum est, quamuis peregrino, erat quippe hospitium publicum. Et libuit militi, ad augendum crastinum gaudium, sub peregrini nomine latere. Iubet tamen parari cœnam lautiorem, ad quam vtrumque parentem inuitat. Edunt splendidè, bibunt largiter, viuunt jucundè, dum filius lætatur se esse apud genitores, & genitores nesciunt à quo hospite tam lautè liberaliterque tractentur. Ibat jam comessatio in seram noctem, & militis itinere vinoque fatigati oculi conniuebant in somnum. Remouetur mensa, surgitur, secundùm cœnam, antè, quàm miles in lectum se proijcit, sarcinulam profert, quam admodum grauem, ignotus adhuc parentibus diligenter asseruandam tradit, existimans tandem spolium suum in bonas manus venisse custodiendum. Ita securè cubitum concedit. Huc vsque omnia læta. Nunc de socco ad cothurnum transit narratio, & ostendit, quàm verum sit illud S. Cypriani dictum: *Vsque ad mortem domini amor lucri se ingerit.* Filio altùm dormiente, primas egit curiositas. Nam sarcinulam è pondere æstimantes

mantes

mantes aperiunt seorsim parentes, visuri, quantum ea auri, quantum argenti contineret. Reperiunt aurum esse, quidquid intus est. Heu quàm facilè vitium vnum alteri viam aperit! Præit curiositas; comitatur cupiditas; sequitur crudelitas. Vident auri summam esse grandem, atque auaritia cæci, non vident suam futuram, nisi impotenter appetijssent. Vt itaq; depositum non repeteretur, hospitem necare statuunt, cum quo paulò priùs hilariter erant epulati. Multa hîc sese offerunt considerandà. Nam & pecuniarum amatores hîc discere possunt, quid ament, & an non verum sit, quod vulgò dicitur, *Hostem secum ferre, qui pecuniam secum ferant*. Deinde quale bonum sit, quod plus secum detrimenti affert, quàm lucri. Tum quam fluxum sit bonum, quod multis annis, & magnis curis acquisitum, vna nocte perditur. Denique quàm suspectum debeat esse bonum, cum quo sæpe vita, sæpe etiam ipsa anima amittitur. Certè huius boni possessores quos insidiatores non alliciant, si paternas manus armant in cædem filiorum? Dormiebat iam somnum suum filius diuitiarum, cùm in exitium eius consultarunt progenitores. Mulier viro au-

dacior; & imbecillior sexus fortior in impij facinoris crudelitatem, cultro manum armat, & intrepida mater intrat in cubile, filiumq; iam diu numquam suauiùs sopitum, parricidali ferro contrucidat. I nunc miles, hoste tot annis superior; hæc militiæ tuæ coronis est, isti spoliorum tuorum sunt triumphi, muliebri, immo materna tandem dextera cecidisti. Vitam inter tot ensesinq; tot prælijs seruatam aurum prodidit. Adhuc viueres, si ex bello nihil attulisses; tantò securior, quantò pauperior. Nunc pecuniam non sine sanguine partam, non sine sanguine atque vita amisisti. Corpus adhuc in sanguine suo palpitans de lecto detrahitur, effossaque humo clam sepelitur, abijsdem mundo sublatum, qui id mundo viuum dederunt. Triumpha Plute, triumpha Pluto, ob aurum, hominem obtruncaruntijdé, qui genuerunt. Quamquam hominem sibi incognitum adhuc, vt, postquam cognoscerent, acerbiùs lamentarentur. His enim in hunc modum perpetratis, nocte omnia tegente, quàm primùm sol diem reuexit, criminis quoq; detecta est magnitudo. Vix enim lucem claram expectare potuit absens soror, cùm, adhuc rubente cælo, ad vrbem aduola-

aduolauit, fratris alloquendi desiderio tota flagrans. Pulsat ianuam, aperitur. Prima vox fuit, *Et vbinam est frater?* Mirantur genitores quæstionis nouitatem. Instat illa: negant illi, nescij, quid sibi puella velit. Rogat denuò filia, *vbi frater*? neque enim rem sibi iam notam certamq; vel negandam, vel vltro, per iocum dissimulandam. Aiunt illam deliria loqui, nihil enim sibi de fratre constare. Enimuerò, ait, fratrem meum adesse scio, qui mihi heri, tali hora, tali loco, tali habitu oris & vestis, tali denique statura, in campis obuiam factus est. Fateor, multùm mutatus ab illo, qui à nobis discessit, nec mihi quidem ampliùs agnoscendus, nisi sese natalitio brachij signo ostenso prodidisset, dixissetque rectà ad parentes diuersurum. Dixisses fulmine cælesti percussos, ita ad hunc filiæ sermonem expalluerunt obstupuerunq; miserandi parentes. Facti enim conscientiâ exhorrescentes capillos de capite euulserunt, sibiq; ipsis, ob immane parricidium, intolerabiles visi, inconsolabilibus lamentis, domum, vrbem, cælum impleuerunt, optantes nullum vmquam aurum, in mundo extitisse. Et quamuis iudicis pœnam meruissent, ipsi tamen

intemperijs agitati, carnificem præuenerunt, vindicesq; manus in se conuerterunt. Tota itaque ea die pater, in tristitia, inedia, ac desperatione transacta, nocte proxima, vrbem solus absque arbitro egressus, è publico se ciuitatis patibulo suspendit, vt è sublimi loco altiùs ad Tartara descenderet; mater autem eodem, quo pridie filij fauces iugulauerat, cultro etiam suum guttur dissecuit; filiâ, inter tria cadauera, aurum, cupiditatem, & diuitias detestante. Ac ne hist oria hæc vim vetustate perdat, contigit ea nostro sæculo, anno scilicet 1618. die 15. Maij. In qua Mundus videt auri vim, qua non solùm, spe adeundæ hæreditatis, filij rapiuntur ad necandos parentes, sed ipsi quoque parentes præcipitantur, vt natos suos è viuis auferant, quibus vitam dederunt. O mater crudelis, & sæuior Medea! ô noua Progne, quæ, Deo vindicante, Ityn ipsa suum concîdit! & prolem, quam vtero texerat, nunc ingesta terra occultauit, ignara quid faceret. Adeò cæcos & amentes facit aurum; adeò sæuit, adeò furit.

Ouid. lib. 6. Metam.

§. VI.

*Diuitiarum execratio.*

S. Chrys. tom. 5. Diuinè Chrysostomus ait: *Fugitiua diui-*

tia

tia sunt, ab hoc in illum transeuntes, atq; vtinam transissent solùm, non etiam occidissent: nam praterquam quòd deserunt, etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt; eò quòd sunt periculosæ proditrices, & cum his potissimùm bellum gerunt, à quibus amantur; ingratæ sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles, implacabiles, bestiæ incurabiles, præcipitium vndequaque præruptum, scopulis assiduis plenæ, & fluctibus; & mare innumeris ventis agitatum; tyranni acerbè imperantes, dominæ quouis barbaro sæuiores, inimicæ irreconciliabiles, hostes implacabiles, & quæ numquam erga eos, à quibus possidentur, remittunt simultatem. At non ita paupertas, quæ quidem est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, delitiæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, Philosophiæ parens, frenum intemperantiæ, supplicij sublatio, radix modestiæ. Quare igitur hanc fugientes, illas amatis? illas hostes, illas homicidas bestiâ quauis sæuiores? homil. Cum Sartoninus.

## §. VII.

### Cur diuitiæ spinis comparentur?

Quæ cùm ita sint, num Christus nimium dixit, quando diuitias spinis comparauit? Luc. 8. 14.

Spinæ sepiunt rosas, & pungunt eos, qui florem volunt carpere. Collige aurum, & senties aculeum. Inter spinas & vepres, viperæ, colubri, bufones nidulantur, & omnis generis animalia venenata: inter diuitias ô quæ non sunt venena, quæ non crimina? quæ fraudes, quæ furta, quæ insidiæ? quæ cædes, quæ spoliationes? E spinis rident rosæ, nitent lilia, quæ nisi summâ cautelâ non leguntur; aculei enim vndique, velut hastæ porriguntur, adhærent vestibus, & si non lædunt manum, saltem metu terrent: è diuitijs multa commoda percipi possunt, sed magna opus est attentione, incredibili vigilantia; certè neq; curæ desunt, neque solicitudines, vbicumq; sunt diuitiæ. Quod in parabola diuitis, qui plurimum fructum collegit, à Christo Domino est manifestatum. Ille enim, cùm interdiu magno labore multa congregasset, noctu somni & quietis expers, secũ tacitus dicebat: *Quid faciam?* Anxij vtique verba hæc sunt. Opes illum dormire non sinebant. Et quid mirum? Si enim diuitiæ spinæ sunt, quis super spinas dormire potest? Nimirum vel idcirco Deus opes spinis cingit, vt sentiat earum amator, quid ambiat; &, agnitâ beni-

Luc. 12. 17.

gni

gni monitoris manu, dicat: *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Et quamuis nonnulli diuites diu non sentiant aculeum diuitiarum; tamen illæ, quemadmodum spinæ, in fine desinunt in cuspidem, qua vulnerant. Multi enim, dum viuunt, voluptatibus sopiuntur; ast in fine vitæ, cùm moriendum est, atque in judicio Numinis aculeum persentiscunt. Tunc *enim extrema gaudij luctus occupat.* Quod, ne fiat, monet Psalmista: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Quibusdam enim, tamquam ex Amaltheæ cornucopia, toti diuitiarum torrentes affluunt, à quibus si se rapi sinunt, deorsum labuntur & rapiuntur ad Phlegethontem. Niti ergo debent contra torrentem, vt sursum ferantur, & cor in altum erigant, neque absorberi à cupiditate sinant spinis implicatum. Quisquis autem aurum judicat esse thesaurum, cor apponit, quia, teste Christo, *vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quod S. Antoninus docet illo auari exemplo, qui morti propinquus, morbo se se intendente, iussus est, conscientiam excutere, & rationem inire scelerum expiandorum. Sed surdo canebatur. Instabant ami-

Psal. 31. 4.

Prou. 14. 13.

Psal. 61. 11.

Matth. 6. 21.

S. Antonin. in summa 2. p. tit. 1. c. 4. §. 6.

ci, vrgebat sacerdos: ille autem negabat, id sibi integrum esse; eò quòd cor sibi præsens non esset, sed illud auulsum è pectore, inter aureos in cista nummos attineretur. Dixit, & vixit. Vt dicti fides constaret, reseratâ cistâ, miserum cor, mille curis, tamquam spinis, confossum, in medio fulgentium nummorum repertum est. Quo prodigio, quid aliud dicere voluit benignus hominum pater, quàm, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere?* si arrideant, nolite totis manibus inuolare, sed eas non secus ac spinas tractate. Spinas enim, si quando portandæ sunt, aut attingendæ, trepidis & cautis, non pressis manibus tangimus, libenterque dimittimus. Sic & diuitiæ non sine metu sunt apprehendendæ, & explicatis manibus à nobis dimittendæ, quando vel merces, vel eleemosyna danda, vel liberalitas, vel patientia in earum amissione exercenda. Quisquis eis cor apponit, adhamatur: quisquis illas pressis manibus retinet, sauciatur. Faciliusque est spinas induere, quàm euellere.

Psal. 61. 11.

## §. VIII.

### *Cur diuitiæ laquei vocentur?*

Nec spinis tantùm diuitiæ, sed etiam laqueis

queis comparantur, quibus Stygij animarum venatores humanum genus solent irretire, teste S. Bernardo in illud Psalmi: *Ipse liberauit me de laqueo venantium.* Horum autem venatorum laquei sunt tentationes atq; peccata. In quos laqueos incidunt, qui diuitias sitiunt. Quid enim mali non faciunt, vt bona caduca adipiscantur, vt amissa recuperent, vel vendicent? Hoc est, quod Apostolus commonuit: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli.* Inter omnia metalla auro nullum est nobilius, sed nullum quoque grauius; quo ipso pondere auri Conditor voluit hominibus indicare, quantum sit in eo onus, quantum corporis & mentis impedimentū, ad cælum euolare cupientis. Qua de caussa etiam Poëta ait:

S. Bern. in Psal. 90 homil. 3.

1 Tim. 6. 9.

*Diuitias fugito, pondus graue celsa petenti:*
*Impediunt animū, nec bene velle sinunt.*

Parum refert, aureis, an ferreis compedibus ligeris. Absalom pulcherrimos nutriebat capillos, adeò vt nonnulli scribant, illos in ornamentum à mulieribus emtos. Illi tamen ipsi pulchri capilli in laqueum ei fuerunt, quo suspenderetur. Quin & in onus: indicat enim diuina pagina, cæsariem eum

grauasse, eaq; propter tondebatur, *& quando tondebat capillum*, ait (*semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries*) *ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico*, id est, ducentis vncijs. Tales sunt diuitiæ, & onerant, & ligant, atque idcirco pili faciendæ, & tondendæ. Quocirca rectè monet Chrysostomus: *Superflua quæq; amputa, & fac pauperibus supplementum. Nam si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiore sentit impedimenta; & vestimentum induens corporis staturam excedens eodem implicabitur modo. Quòd si superfluum vbiq; inutile est, in pecunia fortiùs multò: & qui supra quod satis est, habent, non modò in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui de foris in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta; viam verò in cælum ferentem, & eamdem artam, & arduam tot cum impedimentis, quo modo poteris ambulare? Veloci enim & expedito cuiquam panè impossibile est consequi salutem.*

2. Reg. 14. 26.

S Chrysost. hom. 7. de pœnit.

## §. IX.

*Pecunia iniustè acquisita, vtiliter perdita.*

Quam vt nonnulli consequantur, singulari beneficio Deus ab eis opes, tamquam

onera

onera & laqueos, aufert, vt ostendat, non solùm malè parta, malè dilabi; sed etiam vtiliter amitti, quod acquisitum est flagitiosè. In quam rem D. Gregorius Turonensis hanc historiã memorat. *Quidam apud Lugdunensem vrbem vix ita laborans, vt vnum trientem posset habere, accensus auri execrabilis sacra fame, voluit per eam sacculi ora replere, iuxta illum Prudentij nostri versiculum:*

S Greg. Turon. de glor. Confess. c. 102.

*Auri namq; fames parto conquiritur auro.*
*Igitur de hoc triente vinum comparat, admixtusq; aquis, iterum per argenteos venumdans duplat pecuniam. Hoc iterum atq; iterum agit, & tam diu turpis lucri secutor est factus, vsquequo centum solidos de hoc triente lucraretur. Sed judicium Dei confutauit lucra diaboli. Congerens enim auarus negotiator aurum in sacculum, possessurus pecuniam vnius horæ momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractoq; triente, quasi aliquid negotiaturus, colloqui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex pelle Phœnicea, sicut his manu gestare mos est: & ecce subitò adueniens miluus rapit eum pedibus atq; discerpere tentat, putans a colore partem aliquam carnis esse. Sed cùm nihil pinguedinis sentiret in eo, euolans super alueum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miscuerat, laxatum*

*laxatum sacculũ deijcit in flumen. At ille, apprehensis capillis, elidens se ad terram, spargensq; puluerem super caput aiebat: Va mihi, qui judicio Dei oppressus perdidi pecuniam, qua iniquè fuerat aggregata. Nam ex vno triente centum erexi solidos. Nunc perditis centum solidis, vnus tantùm mihi remansit triens. Va mihi, sicut feci, sic recepi: & qui nihilo eos habui, ad nihilum redijsse conspicio Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in Tartarum. Tale enim commercium & in præsenti damni notam ingerit, & in futuro diuersarum pœnarum genera parit.* Vides lector, 1. quò ducat lucri cupiditas? 2. quas fraudes comminiscatur? 3. quas artes doceat cauponantem? 4. Quàm citò malè parta, malè dilabantur? 5. Sed & quanta benignitate Deus iniusta lucra auferat? iustum trientem solùm relinquat? 6. Quàm vtile sit iudicia Dei agnoscere, atque æquo animo ferre? 7. Denique infamiæ notam, & Tartari pœnam, quæ sequitur eos, qui malis artibus volunt diuites fieri: illi enim *incidunt in tentationem, & laqueum diaboli,* qui irretitos trahit in exi-

1. Tim. 6. 9.

tium sempiternum.

CAPVT

# CAPVT VIII.

## *Quanta multis diuitiæ sint occasio æternæ damnationis?*

### §. I.

### *Christi testimonio difficile esse diuitibus saluari.*

EA est improborum cæcitas & peruersitas, vt vitia non æstiment, quorum tamen vel sola nos deterrere deberet turpitudo. Apposuit ergo Deus vitijs supplicia, quorum metu non solùm vitia vitaremus, sed etiam periculis vitiorum libenter careremus, atque beneficij loco acciperemus, si ipse laqueos nobis subduceret, nosque vel bello, vel quocumque casu, spoliatos vellet carere ijs rebus, quibus habitis perditum iremus. Tales res diuitias esse, satis commonstrauimus huc vsque, inipsis vitijs, quæ vel sunt proles, vel matres pecuniarum. Sed id ipsum nunc videamus clariùs in testimonijs exemplisq;. Neque enim sine caussa Redemtor noster dixit: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Si quis pater filio diceret, nisi nuces reliqueris, & crepundia abieceris, difficilè regnum Poloniæ, Galliæ, Hispaniæ conse Matth. 19. 23.

consequeris; quàm vecors puer esset, qui nuces nollet deserere, aut crepundia magis, quàm regnum adamaret? At Christus amantissimus nostri pater ait: *Dives difficilè intrabit in regnum cælorũ*, & tam multi adhuc sunt, qui diuitijs adhærent, neque formidant hanc difficultatem regni non terreni, & fortè cras amittendi, sed cælestis atque æterni obtinendi? Quæ difficultas, ne

Ib. v. 24. parua videatur, addit Seruator ibidem: *Iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Quæ sententia adeò Apostolos perculit, vt *dicerent*: *Quis ergo poterit saluus esse?* Quibus responsum datum diuites quidem à desperatione liberat, sapientes autem, velut digito intento, ducit, vt periculi magnitudinem magis apprehendant. Ait enim: *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt*; quasi dicat, omnipotentia, & infinita Dei pietas ad hoc exigitur, vt diues aliquis saluus fiat, est enim quasi prodigium quoddam & miraculum ingens, diuitijs circumdatum & oneratum ad cælum ascendere; cùm vel vacuo graue sit, per tam arduum cliuum emergere.

§. II.

## §. II.

### *Auaros ijs miseriores esse, qui ad metalla damnantur.*

Hoc nomen Plutonis & Pluti, quod, teste Platone & Cicerone, apud Græcos diuitias significat, velut affinitate quadam coniunctum, indicat. Voluerunt enim veteres significare, diuitias, & inferos magnam inter sese habere societatem. Vt enim parùm distant, Plutus & Pluto; ita non multùm inter se dissident, diuitiæ & inferorũ flammæ. Quod vt innuere vel ipsa natura, aurum atque argentum, & omne æs in ima terræ viscera abstrusit, vt etiam originis situ inferno vicinum esset, neque erui posset, nisi ab ijs, qui in profundum descenderent. Quod mirum est, mortales tantis laboribus factitare. Nimirum teterrima est seruitus auarorum, neque dissimilis ijs, qui captiui sunt, aut ad metalla damnati, de quorum misera conditione Agatarchides apud Photium, Tertullianus, Cyprianus, itemq; ex recentioribus Bellonius, & à Costa; sed omnium appositissimè D. Chrysostomus in hunc modum disserit. *Auaritia suos amatores, quam qui metalla effodiunt, nulla meliori conditione esse permittit. Vt enim illi perpetuò in tenebris inclusi*

Plato in Cratilo, Cic. lib. 2. de Natiu. Deor.

Phocius Cod. 250. c. 11. Tertullian. l. de habitu mulier c. 5. Cyprian.

ep. 25 77. & 80. Bellon 1. obseruat c. 50. 51. 52. à Costa 4. histor. cap 4. S. Chrysost homil 23. in 1. ad Corinth.

cluſi & ligati maximis exercentur laboribus: ita & hi in auaritiæ ſpeluncis defoſſi, nulla neceſſitate & vi, ſponte ſua ſupplicium ſubeunt, & ſeipſos inſolubilibus vinculis alligant. At rei illi, veſperi ſaltem, laboribus relaxantur. Hi autem diu noctuq; huiuſmodi mala metalla effodiunt. Et illis quidem menſura definita eſt laboris: his verò nullam menſuram norunt, ſed quanto magis effodiunt, tantò magis miſeriam illam deſiderant. Quòd ſi illi inuiti operantur, hi ſponte; difficultatem mihi morbi enarras, à quo minimè liberari poſſunt. Siquidem non odio habent, quòd malo afficiantur, ſed tamquam ſus in cœno, ita hi in auaritiæ ſordibus inuoluti latantur, grauiora patientes, quàm rei illi. Quòd enim peiore ſunt conditione, audi eorum vitam, & hoc pacto intelliges. Dicitur ergo aurea illa terra, hiatus, ſciſſuras, & cauernas in opacis ſpeluncis habere, & malum aliquem virum illic laboribus damnatum, & propterea lucernam & bidentem accipere, ita intus ingredi, & guttum ſecum ferre, vt lucernæ oleum inſtillet, eò quòd illic tenebræ ſunt, & in die obſcuritas, vt diximus. Inde cùm tempus miſeros ad cibum vocat, quod ipſi ignorant, ſed carceris illius cuſtos è loco ſuperiore vehementer ſpeluncam pulſat: ob pulſum & vocem, manifeſtum fieri miſe-

rus,

*ris, in cauernis laborantibus, diei finem adesse. Nonnè horum auditu perterremini? Iam videamus, an his grauiora patiantur auari. Etenim hi grauiorem habent carceris sui custodem auaritiam: & tantò grauiorem, quantò cum corpore animam quoque colligat. Et tenebræ hæ illis longè horridiores. Quippe quæ insensibiles sunt, sed intrinsecus generantur, & quocumq; abeunt, secum deferunt. Cæcatus namq; est eis animæ oculus. Omnium maximè eos Deus miseria afficit, dicens: Si autem lux in te tenebræ sunt, quantæ sunt tenebræ? Et illi quidem saltem lucernam habent ardentem; hi autem eo priuantur lumine. Quamobrem singulis diebus in innumeras cauernas decidunt. Et rei illi præterea, nocte aduentante respirant, in communi infelicium tranquillitate nauigantes. Tranquillitatem noctem appello. Auaris autem hunc auaritia portum obstruit. Tantam & tam difficilem curam, in hac nocte habent, vt puta quos nihil perturbat, sed in summo otio se ipsos affligunt.* Huc vsque D. Chrysostomus vitam auarorũ describens similem ijs, qui ad metalla damnati sunt; immò ijs, qui meritò dicere possunt: *Repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.* Quin & Seneca ait: *ipsos opifices intuere, per quorum*

Psal. 87. 4.

Senec. ep. 90

*manus sterile terræ genus & informe perpurgantur: Videbis, quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos, quàm corpora, & in possessore eorum, quàm in artifice, plus est sordium.* Ita de ijs, qui metalla fodiunt, & multò magis de ijs, qui metalla diligunt, Seneca.

## §. III.

### *Auari, inter opes, miseranda mors.*

Quemadmodum igitur fossores auri, nocte, dieque in tenebris laborant, & miseram vitam degunt, sordidi, atque inquinati; Plutoni æquè, ac Pluto vicini, ita diuites auari non procul absunt à *tenebris exterioribus*, ad quas citò ab his mentis tenebris transeunt, cæcitate eos in summa pericula & scelera inducente. Talem se ad metalla damnatum fuisse ostendit Reginherus, Misniæ in Germania Episcopus, cuius horrenda mors extitit. Hic pecuniæ maiorem curam gesserat, quàm Ecclesiæ; atq; in eodem cubiculo thesauros suos infoderat, in quo somnũ solitus erat capere. Aliquando igitur, cùm absoluto prandio à mensa surgeret, in cubile illud concessit, quasi cibo meridiationem additurus. Sed non sinebat eum pecunia quiescere: immò æs corrasum ferreum

Matth. 8. 12.

Lambertus Schafnabur. & Baron. to. 11. Anno 1066.

ferreum illi somnum conciliauit. Solito diutiùs famulis intus morari videbatur. Expectabant tamen vsq; ad multam vesperam. Et ferè iam tempus cœnæ erat, cùm somni prolixitatem mirati familiares, ianuam digito primùm, tum etiam pugno percusserunt. Et quia arctè oppessulatæ fores aditũ non dabant, neque vllum ille audientis signum reddebat, malleis seras effregerunt. Ibi tremendum se exhibuit spectaculum. Namque episcopus, fractis miserandum in modum ceruicibus, exanimatus, atro colore, aspectuq; terribili thesauris suis incubans repertus est.

## §. IV.

### *Vt non sine prodigio Israëlitæ, per mare, ad terram promissionis; ita neque diuites ad cælum peruenire.*

Fateor, non omnes diuites tali morte puniri; sed mortem alteram, inter opes, euadere, æquè difficile est, immò difficilius, quàm camelum per foramen acus transire; aut in aquis non vuidum, in flammis non atrum fieri. Cuius rei clara imago fuerunt Israëlitæ, ad terram promissionis, per mare rubrum, tendentes. Ingens enim tunc prodigium accidit. Diuisi sunt fluctus; & diuisi

à vento prodigiosè. Steterunt enim vtrimque fluidæ vndæ, muri, immò montis instar erectæ, & siccum, in medio aquarum, sese detexit vadum, per quod tot populorum turbæ transierunt. Cur diuina sapientia voluit populum suum electum, hoc pacto, ad optatas illas sedes traducere? Cur eum nauibus non imposuit, & transuexit, sicut quondam familiam Noë in arca? Aut si tot cateruis nullæ classes suffecissent, cur non effecit, vt omnes, sicut postea Christus & Petrus, vndis solidatis, super aquas gradderentur? Nimirum, quia tunc Israëlitæ ambulabant onusti diuitijs Ægyptiorum, quæ illos premebant, & ex natura sua firmum exigebant pauimentum. Nec tamen hoc ipsum fiebat sine grandi miraculo, vt aquæ cederent, & se se in altum erigerent, instar ardui ac generosi caballi. Et vulgò intermira computatur, si quis in profundo maris possit solum inuenire. Terra sancta patriæ cælestis fuit figura; ad quam diuites auro & argento onerati, non possunt venire communi modo ac velut nauigando; nec more Christi, aut Petri imitatione, quia hi sine mundi opibus incedebant, Christus enim *non habebat, vbi caput suum reclinaret*; Petrus

Matth. 14. 25. & 29.

Matth. 8. 20.

trus autem dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Vnde & Christus, & Petrus ab oneribus mundi expediti, ac nulla re grauati, facilè super aquas ambulauerunt. At qui se se oneribus Ægypti grauant, opibusq; pressi ad terram æternæ promissionis volunt pertingere, possunt quidē, vt D. Augustinus copiosè ostendit, attamen egent non vulgari, sed peculiari diuinæ gratiæ auxilio, & misericordia singulari; vt se se illis tot maria periculorum aperiant, per quæ transeant tuti, neque in scopulos impingant, aut fluctibus sæcularium curarum hauriantur. O quot in hoc diuitiarum mare non cum Israēlitis, sed cum Ægyptijs ingrediuntur, & merguntur! Grauant eos annuli in digitis, vniones in auribus, torques in collo, aurum in vestibus, argentum in crumena. Grauant eos agri & fundi, grauant palatia & regna. Cum tot oneribus, ad terrā benedictam viuentium, sine grandi miraculo non peruenitur. Ipsi torques sunt compedes, ipsa monilia sunt vincula; atq; in his mundi vehementibus aquis, aurum fit plumbum; & quod laqueus est, putatur ornamentum.

Luc. 9. 28. Matth. 19. 27.

S. Augustin. ep. 89. ad Hilariū.

## §. V.

### *Aureum torquem putans, laqueum à diabolo accipit, diuites, præ pauperibus, auferente.*

In litter. annuis Soc. Iesu An. 1605. Residentiæ Garigaræ.

Est in litteris annuis nostris, An. 1605. Garigaræ, in vice prouincia Insularum Philippinarum, fuisse seruum plagipatidam, fame & labore consumtum, atq; calamitate ad extrema adactum, qui suspendio voluntario statuerit finire ærumnas pariter & vitam. Vtque compendium mortis haberet, ex proxima arbore funem nexum collo iniecit. Erat autem ea ita humilis, vt non esset amplius trium cubitorum. Quare, nisi genua flexisset, solum pedibus attigisset. Et vel sic diutiùs palpitabat pendens. Quod vbi conspexêre transeuntium nonnulli, aduolantes laqueum inciderunt. Collapsum est humi exanime corpus, & jam ita deforme, vt Auernali laruæ, quàm homini similius esset. Nondum tamen penitus extinctus erat spiritus, sed laxato gutture cœpit paullatim respirare, & ad se redire, præsertim fomentis quibusdam adhibitis. Die postero, cùm iam vires reualuissent, tamen animus adhuc peregrinabatur, attonitus enim, & quasi stupens notissimos vix agnoscebat

scebat. Tandem vbi sensus plenè remigrauit, interrogatus; cur in eam sese desperationem præcipitasset? respondit auri sese specie deceptum esse. Venisse enim ad se, quoddam oris fædissimi spectrum, simis naribus, capite obtuso, atq; dixisse: *Accipe, quem collo injcias torquem aureum.* Ita pro torque laqueum iniecit sibi, & in eo hæsit, quod concupiuit, aurum ratus, quod exitium fuit. Multi grauiùs falluntur, quibus verum aurum mutatur in laqueum, quo irretitos cacodæmō trahit ad æternam damnationem. *Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis*, cùm populum Dei expugnasset, vicisset, captiuum abduxisset in Babylonem, præcipuè diuites abduxit, *de pauperibus terræ reliquit vinitores, & agricolas.* Ad eumdem modum humani generis hostis, pauperibus, quos Christus, & sua paupertas defendit, relictis, diuites inuadit, vinculis innumeris ligat, captosque trahit ad Babylonium Acheruntem. Nimirum, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli.* Atque vel idcirco dixit Christus. *Væ vobis diuitibus.* Quia ergo nemo vult sibi esse væ, necesse est hoc homines vel non credere Christo, qui est *veritas*, vel

4. Reg. 25. 9.

1. Tim. 6. 9.

Luc. 6. 24.

ſummè amentes eſſe, ſi adhuc diuitijs inhi-ent, à quibus æternum væ dependet; niſi, velut cum prodigio, per laqueos earum, ſi-cut Iſraëlitæ olim per mare rubrum, edu-cantur.

## §. VI.

*Diuitiæ, etſi ſint beneficium Dei, tamen, ob hu-manam cæcitatem, fiunt exitij cauſſa.*

Complures ſunt huius periculi cauſſæ. Prima eſt, quia cùm alioqui mortales ple-rumq; beneficijs cicurentur & miteſcant, & Deus quoque opum largitione homines al-liciat, vt ament largitorem; tamen cupi-ditas & auri poſſeſſio, quæ omnibus vitijs viam aperit, dum mentem occupat cæci-tate, obliuionem inducit benefactoris. Fi-unt ergo diuitiæ auaro in laqueum, quæ eſſe debebant mnemoſynon Creatoris. Quàm autem miſera hæc ſit felicitas, & quò du-cat, ex Axitheo accipe Æneæ Gazæi, cuius hæc ſunt verba: *Si ſceleſtus aliquis diteſcat ac valeat, id quidem conſtat eſſe ex prouidentia di-uinæ erga nos propenſa voluntate, & gratia. Si-ue enim hoc remedio fiat melior, quemadmodũ pueri quibuſdam illecebris ad bonarum artium ſtudia inuitari ſolent: ſiue conuictus deſperatæ malitiæ, atq; nudato eo, quod latebat animæ to-*

*tius*

tius vlcere seipsum quàm sit intus & in cute malus, prodiderit; flammã ipse sibi parat, multam videlicet materiam cumulans, vnde etiam lapsus nullam habebit neque excusationem, neque culpæ condonationem. Neque enim potest comminisci, quòd propter inopiam egentibus non potuerit succurrere, qui diuitijs abundabat: neque etiam fingere, quòd potentia ac viribus destitutus, eos qui premerentur iniurijs neglexerit, qui summus rerum Dominus erat: neq; prætexere, quòd imbecillitate suapte factum sit, vt voluptatibus succumberet, cui corporis robur alias adres affuerit. Nam vt omnibus constet, quàm multa sit huius iudicis & excellens iustitia; vult ille ipse iudicium suum nec obscurum esse, nec ambiguum: verùm sic iudicare, vt reus & pœnam sibi irrogatam ferat, & sententiam ab iudice de se latam suspiciat atque reuereatur. Etenim si mors omnium rerum finis vltimus esset; rectè in quæstionem vocarent homines quînam fieret, vt homo sceleſtus in imperio atque lauta fortuna vitam suam omnem finiret. Iam verò cùm immortalis sit anima, ac neq; ad Inferos demissa pœnam effugiat; sed istic maximè anteactæ vitæ vindictam sentiat, cùm in ima tartara ceciderit, inde numquam est exitura. Quamobrem insperati lucri vice

*fuerit, hîc agrotare, egere, ſeruum eſſe: cùm is, qui illa perfert, in priuato vitæ genere, & parum deliquerit, ac deinceps membrorum ſuorum compactione iam ſoluta, iamq; eius fortunæ ſuæ cauſſa cognita, ac ſatis deplorata, à ſupplicijs inferorum liber & immunis euadat. Alius exſecto oculo factus hîc exemplum iuſtitiæ; vitij ſui, ſiue perturbationis euentum odio proſecutus ac deteſtatus, liber etiam ipſe euadit.* Præſtat ergo hîc pauperem, ægrum, miſerum eſſe, & paruas culpas, paruis pœnis luere; quàm abundare pecunijs, delitijs, voluptate, &, ſine excuſatione, virtutum, pauperum, Dei obliuiſci, pœnisque æternis reſeruari, quod factum eſſe illi, legimus in annuis Societatis noſtræ, qui animâ iam ſub labijs hærente, nihil à Confeſſario audire voluit de Deo, nihil de cælo, nihil de inferno; ſed eo exeſſe iuſſo, lancem auro impletam ſibi ab vxore voluit apportari; eaq; illatâ, manus immerſit, atque inter aureos nummos identidem illas verſans dixit: *Tu meum Numen es, tu ſpes mea, tu mea voluptas, & vita; quidquid aliud deblaterent ſacerdotes: à te vno opem expecto.* Poſt hæc & caput in auro circumuoluens, illudque hinc, & inde deoſculans, ac velut idolum ſuum adorans, animam

Citat hanc hiſtoriam etiam Philip. D'oulterman. in Pædago-

animam à Pluto ad Plutonem transmisit. Sic opes à Deo dispensatæ, benefactori se gratas præstant, quando mentes humanas inebriauerunt. go Christian. c. 7. §. 2.

## §. VII.

### *Diuitias esse occasionem damnationis, quia faciunt immisericordes.*

Altera caussa hinc emergit, quòd, sicut *beati* sunt *misericordes, quoniam misericordiam consequentur;* gerit enim se Deus erga hominem, sicut homo erga proximum se gerit; ita vicissim, immisericordes, qui pauperes non exaudiunt, nec ipsi à Deo exaudiuntur. Matth. 5. 7.

Faciunt autem diuitiæ immisericordes, quia qui ipsi non sunt miseri, nescium, quod non sentiunt; hinc plerumque miseris non succurrunt. Quare nec ipsi digni sunt, quibus succurrat Deus. *Ideò rogans diues non exauditur in tormentis,* ait S. Hieronymus, *quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris.* D. Augustinus epulonis illius damnationem, quodam loco, huic soli caussæ ascribit, dum ait: *Quamuis superbus diues, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendidè, mortuus apud inferos torqueretur: tamen si pauperis vlcerosi, qui ante ianuam eius contemtus iacebat, misertus fuisset, mereretur & ipse* S. Hieronym. homil. de diuite. S. Augustin. ep. 89.

*ipse misericordiam. Et si pauperi illi meritum esset inopia, non iustitia, non vtique ab Angelis in Abrahæ gremium, qui diues hîc fuerat, tolleretur. Sed vt nobis ostenderetur, nec in isto paupertatem per se ipsam diuinitus honoratam, nec in illo diuitias fuisse damnatas: sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse: sic suscepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis.* Damnatus est ergo diues ille, non propter diuitias, sed quia diuitiæ ab illo non sunt adhibitæ ad misericordiam exercendam: quæ plerumque quò habentur ampliores, eò habentem magis incendunt faciuntque intemperantiùs pecunias sitientem. Quantò autem magis amantur, tantò ægriùs dispensantur. Hinc fiunt earum possessores minùs liberales, magisq; duri ac immisericordes, digniq́ue, qui nec ipsi misericordiam consequantur, sed sine misericordia è medio tollantur.

## §. VIII.

### *Auari liberalitatem suam retractantis subita pœna.*

Baron. to. 7. An. 353.

Recitat Raderus noster ex Menæis Græcorum, quin & Cardinalis Baronius ex Cedreno luculentum exemplum, de viro copioso,

pioso, qui an. 27. Iustiniani Imperatoris, Constantinopoli graui morbo afflictatus mortem cernebat nulla humana vi posse euitari: confugit ergo ad diuinam, & iussit triginta libras argenti in subsidium pauperum distribui. Faciliùs nimirum pecuniam erogauit, quam cum vita mox amittendam alioqui censuit. Sed vel sic miserentis misertus est Deus. Nam præter omnium spem illi vitam restituit, & valetudinem prolongauit. Multùm refert quo quid animo faciamus. Quidquid fit libero Dei amore, constanter fit. Quod autem fit amore creaturæ, mutata creatura, facilè mutatur. Quare & iste diues, valetudine recuperata, & morbo pulso, suggestione Acherontica, cœpit mutare suam voluntatem, cuius eum subijt pœnitudo. Nam & pecuniam suam optauit recuperare, quasi Deum fallere potuisset. Neq; tales cogitationes in corde eius pressæ manserunt. Habebat amicum fidelem, cui sua arcana solebat patefacere. Huic cum gemitu narrat, se quidem conualuisse, sed interim triginta auri libras sibi perijsse, quæ vtiq; seruari potuissent, jamque in magnos vsus seruirent. Audijt hanc querelam amicus, & expalluit: vtque erat rerum diuina-

rum

rum peritus, illum seriò commonuit, malũ spiritus hanc esse technam, cogitationem istam ex animo, velut ignem è manu, eijciendam; ne diuina misericordia in iram conuersa, sanitatem, quam reddidit, denuò auferret; & vt liberaliter misericordem sanauit; ita datum retractantẽ rursus verberaret. Non cæcum modò, sed etiam ad pia monita surdum fecerat Plutus. Nihil igitur motus in consilio perstitit, immò magis magisque cupiditate argenti recipiendi inflammatus, altùm ingemuit. Quod vbi vidit amicus, eum, ne animum desponderet, aut se suspenderet, talibus verbis affatus est. Oportebat quidem, ô bone, te consilium meum non respuere, ac seriò cogitare, nihil amitti, quod pauperibus datur, Christo dicente, *Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* & vtiq; præstantior est corporis sanitas, quàm pecuniæ, quibus ægroto non licet frui; quæq; sæpe sine fructu medicis expenduntur. Verùm quia sana consilia apud te locum non habent, est aliud, quod ægritudini tuæ curandæ offeram, si fortè illud placet. Auarus cùm animaduerteret, nummi spem refulgere, jubet eum consilia promere. Tum

Matth. 25. 40.

alter

alter non minùs pius, quàm ſacra doctus: Quando igitur ita es conſtitutus, inquit, & te largitatis in pauperes pœnitet, age ad templum mecum redi; totam quantam ſummam expendiſti, tibi numerabo, ſi Chriſto profeſſus fueris, non te, ſed me argentum iſtud in pauperes effudiſſe. Accipit conditionem miſerè lætus ille. Adeunt ambo templum, annumeratur pecunia, pronuntiatur formula, & meritum ab auaro ad liberalem transfertur. O cæcam auaritiam! quàm non videt in lucro ſuo damnum! Vix iſte argentum receperat, & illico cum valetudine vitam amiſit. Nam è templo egrediens, ſub ipſo limine, repentina morte extinctus eſt. Ita pecuniam pariter atque animam ſuam perdidit. Cur perdidit? quia liberalitatem ſuam retractauit. Vſque adeò non ſolùm auaritia impedit homines, ne ſint liberales, ſed etiam hominibus pœnitudinē inijcit, ſi liberales extiterunt.

## §. IX.

*Diues, quia immiſericors, fuit damnatus.*

Et quærimus adhuc, cur diuites difficulter intrent in regnum cælorum? diuitiæ amatæ ægrè ſeparari ſe ſinunt à ſuis amatoribus; hinc faciunt illiberales; hinc efficiunt

ciunt immiſericordes; hinc gignunt cru-
delitatem, quæ miſeris non ſuccurrit; hinc
merentur diuitiarum amatores, vt neque
erga ipſos Deus ſit liberalis, ſed eos in vita
ſua, bona ſua recipere ſinat; in altera, quid
Matth. 7. 2. futurum ſit, dudum prædixit: *In qua men-
ſura menſi fueritis, remetietur vobis*: nulla
miſericordia tetigit vos, neque Deus tunc
miſerebitur veſtri. Si cetera vobis omnia
delicta deſint, ſufficit, miſericordiam non
exercuiſſe. *Nam & ille diues*, ait S. Auguſti-
S. Auguſtin. ſerm. 19. de verbis Apoſt. Luc. 16. nus, *ante cuius ianuam iacebat pauperrimus
vlceroſus, non eſt dictus, raptor rerum alienarũ.
Erat quidam diues, inquit, qui induebatur pur-
pura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.
Diues, inquit, erat, non dixit, pauperum op-
preſſor: non dixit, rerum alienarum raptor,
aut delator, aut receptor: non dixit, pupillorum
ſpoliator: non dixit, viduarũ perſecutor. Nihil
horum, ſed, erat quidem diues. Quid magnum
eſt? diues erat, de ſuo diues erat. Cui aliquid
tulerat? an fortè illi auferret, & Dominus de
illo reticeret, & perſonam eius acciperet, ſi cri-*
Ioan. 7. *mina eius abſconderet, qui nobis dicit: Nolite
perſonaliter judicare? Si vis ergo audire crimen
diuitis illius, noli ampliùs quærere, quàm audis
à veritate. Diues erat, qui induebatur purpura*

&

*& byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Quod ergo eius crimen? Iacens ante ianuam vlceroſus, & non adiutus. Hoc enim apertè de illo dictum eſt, quòd immiſericors erat. Numquid enim, chariſſimi, ſi pauper ille ante ianuam jacens ſufficientem panem à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis? Propter hanc ſolam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam ſuam jacentem, nec congruè digneq; paſcebat, mortuus eſt, & ſepultus eſt. Et cùm apud inferos in tormentis eſſet, leuauit oculos ſuos, & vidit pauperem in ſinu Abrahæ. Et quid multis immorer? Deſiderauit guttam, qui non dedit micam. Nonnè accepit iuſtam ſententiam, qui non dedit crudeli auaritia? Si hæc ergo pœna eſt auarorum, quæ pœna raptorum?*

§. X.

*Diues, etiam quia voluptarius fuit, damnatus eſt.*

Tertia cauſſa ab eodem epulone diuite trahitur. Nam etſi diuitiæ neque peccata ſunt, neque culpabiles, vt rectè docuit Auguſtinus, neque proſperitas crimen haberi poteſt, cùm à Deo ſit, tamen inter diuitis illius elogia damnationis, ab Abrahamo etiam illud profertur, quia *recepit bona in vita*

sua. Quapropter D. Basilius in hæc verba exclamat: *Timeto exemplum diuitis. illum delitiæ vitæ igni tradiderunt, non ob iniustitiam.* Verum est, immisericors fuit, sed non hæc sola caussa indicatur supplicij. Opulentia illi etiam, & festiuus fortunæ vsus, & fauor auri, & splendor purpuræ, & apparatus epularum, deniq; magnæ annona voluptatis obijcitur. Hæc enim sunt, quæ Lazaro defuerunt, & diuiti illi superfuerunt, quæq; ille, si quid fortasse bene meruit, pro meritis suis in hac vîta *recepit*. Quin hoc elegium damnationis, etiam Christus ipse non dissimulauit: *Væ vobis diuitibus*, inquit, *quia habetis consolationem vestram; væ vobis, qui saturati estis; væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis.* Quid ita? an non ille diuitias condidit? an non epulas creauit? an purpuram non fecit? Aut fortasse peccatum est, habere, quod supremus rerum Dominus donauit? Nequaquam. Sed delictum est, possidere, quod alijs erat distribuendum; sacrilegium est, ad Dei ignominiam vsurpare, quod ad illius honorē & gloriam erat vsurpandum. Quamquam etiam copia rerū sceIus non sit, tamen, vt suprà docui, ea vel fundamentum, vel ædificium est scelerum ac vitio-

S. Basil. hom. 3. de ieiun.

Luc. 6.

vitiorum. Compendium est vituperationis, fortunatum dici, & simul non etiam misericordem, beneficum, liberalem, patrem pauperum, sobrium, iustum, & munificum esse: quia titulus opulentiæ, sine virtute, est omnium criminum index, & procurator voluptatis. Quid porrò voluptas pariat, ex illa sententia discitur: *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18. 7.

## §. XI.

### *Auaritiæ fraudes Acheronticis flammis dignæ.*

Quarta causa, quia vti iustitia cælo digna est, ita iniquitas inferno. *Manè astabo tibi, & videbo*, ait Propheta. Quid videbis, ô Videns? *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neq; habitabit iuxta tè malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* At, iuxta commune adagium, dives plerumque aut iniustus, aut iniusti hæres est. Quid ergo mirum, si diuitiæ dicantur esse magna occasio æternæ damnationis? cùm & ab Ethnicis irritamenta malorum appellentur? & Iacobus Apostolus dicat: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt:* Psal. 5. 6. Iac. 5. 1.

*& vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum aruginauit, & aerugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Quam veritatem D. Gregorius hoc luculento exemplo confirmat. Femina ex illis vna, quibus dictum est à Poëta:

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. martyr. c. 106.

*Sed facile est vobis verba & componere fraudes,*

prætextu pietatis, multos deceperat, qui vultui, & gestui, & sermonis tractui crediderunt. Vtq; simulationi sacris peregrinationibus conciliaret authoritatem, terram Palæsthinam, quam Deus homo, suis natalibus, suoq; sepulchro insignem fecerat, visitare solitabat. Hoc iter illi occasio pecuniæ lucrandæ fuit. Nam multam peculij summam illi Christiani vbique contribuerunt, qua captiuos redimeret, egentesque sustentaret; quam illa interuertit. Neque enim eam in terram sanctam pertulit, sed clam domi in suos olim vsus sub terra defossam occultauit. Rarò prosunt iniquè acquisita. Quare neq; mulierem hanc sua furta iuuerunt. Diuina enim Nemesis illi vitæ filum incîdit, vt constaret, etiam in femina fieri,

fieri, quod dicitur: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Quippe illi pecuniam, illis Deus vitam aufert. Ita sæpe homo *thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Defuncta hac strige, mandato Episcopi in pecuniam inquisitum est: & filia illi superstes interrogata. Sed nihil ex ea potuit intelligi, clam enim mater omnia domi infoderat, neque filiæ fidebat, ne ab ætate & sexu secreti impatiente proderetur. Per totam igitur domum, atque in omnibus angulis circumierunt scrutatores, tandemque repertus est tumulatus altè thesaurus. Neque verò pecuniam eam omnem meliùs potuit impendere sacer Antistes, quàm vt eam, in flagitij detestationem, sepulchro inijceret, & super infame mulieris cadauer iactaret; quasi diceret iam sæpiùs vsurpata formula, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, aut, *Thesaurizasti tibi iram in nouissimis diebus.* Vtque etiam illud appareret, *Aurum & argentum vestrum manducabit carnes vestras, sicut ignis*: ecce, per tres integros continuosque dies, funestissimum hoc lamentum ex sepulchro clarissimè perceptum est: *Vrit me aurum, vrit me aurum.* Ne autem aures tantùm exhorrescerent, sed vt oculis quoque caperetur,

Psal 54. 25.

Psal. 38. 7.

Iac. 5. 3.

miseriarum experimentum, erutâ terrâ, metuendum se se aperuit spectaculum. Quippe liquatum, & candens aurum, lucentis flammæ instar, in os mulieris visum est, tamquàm riuus quidam influere, atque non tantùm, veteri illo ritu, quodammodo dicere: *Aurum sitijsti, aurum bibe*, sed illud quoque exprimere, quod Psalmista cecinit: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Similem potum sibi parari existimet, qui similem sitim patitur.

Psal. 10. 7.

§. XII.

*Hæreditates iniustæ, quàm seuerè etiam in hæredibus punitæ?*

Quòd si quis paucas esse eiuscemodi Megaricas Sphinges arbitretur; illud tamen nouerit, eiuscemodi calidum haustum, non tantùm raptoribus infundi, sed etiam opũ malè acquisitarum possessoribus. Valde me semper perculit illud, quod D. Hieronymus ex communi hominum opinione scribit: *Illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Diues aut iniquus, aut iniqui hæres.* Quin & Platonis verba sunt: *Verum est, quod vulgò dicimus, admodum diuites non esse bonos.* Valde etiam multos locupletes viros sollicitos fecit illud summi judicis pronuntiatum:

S Hieron. ep. ad Hedibiam.

Plato l. 5. de legib.

tum: *Ego sum Dominus Deus tuus: Deus amulator reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me* Quidam opulenti, neque vllius sibi sceleris conscij, furtis, rapinis, spoliatione, incendijs, populatione agrorum, & mille quotidie incommodis infortunijsq; vexantur; neque satis dispicere possunt; qua id culpa sint commeriti. Nimirum vel seri nepotes luunt, quod proaui peccauerunt. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Noui ego antiquissimi stemmatis familiam, in qua jam multis ab annis, ferè nemo vllus bona morte defunctus est: pleriq; vel contrucidantur, vel miserando casu, ex improuiso, pereunt. Audiui sæpiùs, atque ex compluribus, caussam esse, quòd, sub prætextu patrocinij atque tutelæ, monasteria canibus venaticis onerent, exactionibus, & nescio quibus præscriptionibus exsugant, atque ea varijs titulis excogitatis auferant, quæ maiores ipsorum sanctissima liberalitate illis donauerunt. Hæc siue vera, siue ex odio ficta sint, simile tamen quiddam, post Cardinalem Petrum Damianum, narrat Cardinalis Cæsar Baronius, Anno 1055. de quodam Ger-

Deuter. 5. 9.

Ierem. 31. 29.

Baron. An. 1055. tom. 11.

maniæ Comite, qui probam alioqui honestamque admodum egisse credebatur vitam. Sed alia mors fuit, quàm fides vulgi. Siquidem, post obitum illius, Religiosus quispiam fortè pro illo preces ad Deum fundens, conspexit immane quoddam chaos, & horribile barathrum, longè lateque patens, ac metuendæ profunditatis, furentibus vndique atque exundantibus Inferorum flammis plenum. E medijs his incendijs scalæ sursum porrigebantur ignitæ, ad excipiendos omnes, qui ex illius Comitis stirpe nati, per eas descenderent ad tormenta Acherontis perpetienda. In supremo autem scalarum gradu adhuc Comes ille recens defunctus hærebat. In illis quippe scalis eius familiæ Comites, vita functi, sibi mutuò succedebant; ita vt semper vltimò ex hac vita electus primum scalarum gradum occuparet: ille autē qui inibi locum tenerent, alijq; deinceps ordine omnes ad proximum superiori gradū detruderentur. Quàm longè diuersæ hæ erant scalæ ab ijs, quas in somno vidit Iacob! Siquidem *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* His autem

Gen. 28. 12.

autem scalis, heu qualis Dominus innixus erat? & per eas, ô quàm miseri Angeli descendebant? Nam *reuocare gradum superasq; euadere ad auras* nulli dabatur. Religiosus igitur, qui hæc omnia trepidus videbat, causſam scire cupiebat; neque iustus Iudex eam cælauit. Clara enim vox audita est: supplicia hæc istis Comitibus decreta esse, ob quamdam Metensis Ecclesiæ possessionẽ, quam B. Stephano quidã ex Comitis atauis abstulisset: cui nimirum hic iam decimus, in ea iniusta hæreditate, succesſisset, forsitan ignarus, vnde ea haberetur, sed neq; inquirens, neque à maioribus ea de re monitus. Itaque *Deus æmulator reddit iniquitatem patrum super filios* non solùm *in tertiã & quartam*, sed etiam vsq; in decimam *generationẽ, his qui oderunt* illum. O quàm meritò hîc omnes diuites contremiscunt! quàm meritò metuunt, etiam si ipsi nemini fraudem fecerunt, tamen ne aliquid possideant, quod vel à maioribus suis fuerit acquisitum per fraudem! Quanta solicitudine deberent inquirere in suorum bonorũ origines! quanta diligentia restituere aliena? atque à se excutere, quorum causſa vel seri nepotes damnantur? An non beneficium est Dei, ca-

Deuter. 5. 9.

rere talibus bonis? ea posse contemnere, abijcere, detestari, quorum possessio ad alios pertinet, vel conflata de sudoribus tot pauperum, vel ipsi Ecclesiæ ablata? Quàm longè melior conditio est paupertatis?

## §. XIII.

*Diuitis & pauperis mors inter se collata.*

S. Augustin. de verb. Domini. ser. 24.

*Recordamini in Euangelio diuitem illum, & pauperem illum*, ait S. Augustinus. *Diuitem indutum purpura & bysso, & quotidiani epulis saginatum, pauperem verò illum iacentem ante ianuam diuitis, esurientem, & de mensa micas requirentem, vlceribus plenum, à canibus linctum. Recordamini ergo. Vnde recordamini, nisi quia Christus est in cordibus vestris? dicite mihi, quid ipsum intus interrogaueritis, & responderit vobis? sequitur enim, & dicit: contigit, mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues & sepultus est in infernum. Cùm autem in tormentis esset, leuauit oculos, & vidit Lazarum quiescentem in sinu Abrahæ. Tunc clamauit, dicens: Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat digitum suum in aqua, & stillet in linguam meam, quia crucior in hâc flammâ. Superbus temporis, mendicus inferni. Pauper enim ille perueniebat ad micam, ille autem*

non

non peruenit ad guttam. De duobus ergo illis, dicite mihi, quis est bene mortuus, & quis malè mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite. Si enim oculos interrogaueritis, falsa vobis respondent, multũ enim splendida sunt, & sæculariter fucata, quæ illi diuiti morienti exhiberi potuerunt. Quæ potuerunt agmina esse plangentium seruorum & ancillarũ? quæ pompa clientium? quis splendor funeris? quod pretium sepultura? Credo enim ab aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi sumus, fratres, bene istum mortuum, an malè mortuum? si oculos vestros interrogatis, optimè mortuus est, si magistrum vestrum interiorem requiritis, pessimè mortuus est. Si ergo sic moriuntur superbi rerum suarum conseruatores, & nihil inde pauperibus largientes, quomodo moriuntur, qui rapiunt res alienas? Verùm ego dixi: viuite, ne moriamini malè, ne quomodo dives ille moriamini. Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. E contra attendite illum pauperem, sed nolite oculis, nam errabitis, fides attendat, cor videat. Constituite illum ante oculos vestros iacentem in terra, vlceroſum, venientes canes lingentes vlcera eius. Sed cùm talem illum reuocatis ante oculos vestros, continuò expuitis, faciem auertitis, nares obturatis.

Cor-

*Cordis oculis videte. Mortuus est, & ablatus est ab Angelis in sinum Abrahæ, familia diuitis videbatur plangens, Angeli non videbantur gaudentes. quid ergo respondet diuiti Abraham? memento, fili, quia percepisti bona in vita tua. Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habuisti. Accepisti bona, sed transierunt dies, & totum perdidisti, & torquendus in Inferis remansisti.*

## §. XIV.

### *Periculosum diuitiarum pondus abiciendum esse.*

Si ita diuites laudantur, quis non malit esse pauper? qui, vt securiùs coram latrone cantat, quia est vacuus, neque timet spolijs insidiantem; ita expeditiùs currit, per ardua, ad cælum. Et verè S. Bernardus ait: *Camelus vnum solùm pondus habet, diues duo; vnum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud velit nolit moriens retinet, nisi ante mortem deponat.* Immò & primum retinet, quia etiamsi diuitiæ morientem deserunt, non deserit tamen pondus diuitiarum. Grauat enim eum adhuc æs alienum, grauant depositа, grauant doli & fraudes, quibus pecuniam aliasque res proximi interuertit; grauat denique onus restitutionis. Quibus tot ponde-

ponderibus preſſus in infernum ſubmergitur, *quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Exod. 15. 10. Hoc eſt enim *talentũ plumbi*, & *maſſa plumbea*, quam vidit Zacharias in os mulieris proijci. Aurum enim atque argentum, quod auaritia deuorat, quaſi metallum animam grauat. Qua de cauſſa, alibi dicitur: *Collegiſti quaſi aurichalcum aurum, & vt plumbum compleſti argentum.* Qui hoſtem fugit, omne onus, etiam haſtam, etiam gladium, etiam ſcutum abijcit. In periculoſa nauigatione, qui cum D. Paulo vehebantur, *ſatiati cibo alleuiabant nauem, jactantes triticum in mare.* Fugimus capitalem humani generis inimicum: ad cæleſtem portum nauigamus, ſurgunt procellæ, periclitamur, & grande naufragium animæ noſtræ inſtat; nec adhuc plumbum diuitiarum abijcimus, & ire in mare Creticum jubemus? Si ſapimus, cum Philoſopho, id facimus. Melius eſt noſtra, quàm nos perire. Et in via, quæ nobis ſunt oneroſa, libenter damus alijs portanda. *Superflua*, ait S. Chryſoſtomus, *quæque amputa, & fac pauperibus ſupplementum: nam ſi calceamenta quis ſupra menſuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiore ſentiet impedimenta; & veſtimentum induens corporis ſtaturã excedens,* Zach. 5. 7. Eccl. 47. 20. Act. 27. 38. S. Chryſ. homil. 7. de pœnit.

*eodem*

*eodem implicabitur modo. Quòd si superfluum vbiq; inutile est, in pecunia fortiùs multò; & qui supra quod satis est, habent, non modò in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui deforis in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta, viam verò in cælum ferentem, & eamdem arctam, & arduam, tot cum impedimentis, quo modo poteris ambulare? Veloci enim, & expedito cuiquam pænè impossibile est consequi salutem.* Quemadmodum ergo, qui in altis sunt specubus, à fulmine non feriuntur; ita infima fortuna tutissima est: *ab auditione mala non timebit.* Quæ est auditio mala? quod fulmen illud? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*

Psal. 111. 7.

Matth. 25. 41.

# CAPVT IX.

## *Qualis diuitum, qualis pauperum mors esse soleat?*

### §. I.

*Pauperum mors pretiosa, diuitum pessima.*

SI vlla res est, quę paupertatē commendat diuitiasque odio dignas facit, mors ea profectò est; nā eam pauperes læti expectant, & sæpe etiam optant;

tant; diuites autem horrent, & execrantur, & omnibus modis differre, fugere, fallere conantur: illi enim velut è carcere & vinculis emissi, de calamitate euolant ad libertatem ac gaudia; isti autem à suis delicijs ad metuendum judicem, per mortẽ, trahuntur. Hinc illi hîc fame, siti, varijsque ærumnis pressi, memores Lazari illius, clamãt: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Psal. 119. 5. itemque: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quid ita? Quia *pretiosa, in conspectu Domini, mors sanctorum eius.* Rom. 7. 24. Ast verò *mors peccatorum pessima.* Hinc Scriptura ait: *O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis;* Psal. 115. 15. *viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus,* Psal. 33. 22. *& adhuc valenti accipere cibum? O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate!* Eccli. 41. 1. Quemadmodum itaq; Lazarus mortem non timuit, sed sperauit; quia nouerat, mortem sibi esse finem malorum, principium bonorum; ita diues à morte abhorruit, quia sciuit eam esse sibi finem bonorum, & principium malorum. Siquidem illi postea dictum est: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur,* Luc. 16. 25.

*latur, tu verò cruciaris.* Illius crux fuit temporaria, tua erit æterna; tua voluptas erat fluxa & breuis, illius semper durabit. Sicut ergo illius mors fuit *pretiosa*, ita tua *pessima*. Ad quem finem quisquis respicit, more sapientum, vtique non solùm patienter, verùm etiam libenter fert pauperratem, vt quæ exitum habet longè lætiorem ac securiorem.

§. II.

*Poëticum Exemplum diuitis vitam prolongari cupientis.*

Quàm autem inuiti sese sinant ex hac vita expelli, quibus est aurum, & omnis rerum copia, qua sunt irretiti, eleganti dialogo Lucianus expressit. In eo enim cùm Charontem induxisset de Mercurij, in animabus sistendis, nimiâ morâ quiritantem; Mercurius sudore madens, ac pedibus puluere consperfis, crebroque anhelans, suspirijsque assiduis fatigationem professus; tarditatem suam excusat, quòd tempus insumpserit, in sceleſto quopiam (& monstrabat eum) aufugiente prosequendo. Aufugisse verò illum, *quòd diutiùs viuere cogitaret*; esse autem vel regem quempiam, vel tyrannum, quantum quidem ex eiulatu eius conijcere licuerit; *nam ingenti quadam ex felici-*

Lucian. in Caraplo, siue tyranno.

*licitate se deiectum querebatur,* Quamuis enim filum Parcarum jam defeciſſet, ſtultum tamen ſuperuiuere omni modo conatum, ac planè euaſurum fuiſſe, niſi pauperculus aliquis Philoſophus, qui baculum manu geſtabat, auxilio fuiſſet, itaque dives ille comprehenſus alligatus vinculis eſſet. Ex quo enim eum Atropos Mercurio tradiderat, per omnem viam ſe retrahere atque obniti numquam deſtitit captiuus. Quin pedibus ſolo oppoſitis, ita ſe offirmauit, vt inter ducendum Mercurio non parum negotij exhibuerit. Aliquoties ſupplicabat, ac deprecabatur, ingentia daturum ſe pollicens, ſi vel paululum dimitteretur. Megapenthes autem Lacydæ filius, tyrannus is erat, qui ad ſuperos remeare cupiebat, vel prece, vel pretio id obtinere nitens. Cuius rei cùm ex ipſo tyranno cauſſam audire vellet Clotho, reſpondit, domum ſe ſemiperfectam reliquiſſe, quam vellet ad faſtigium perducere: quin, (quia eum nugas agere dicebat Clotho) ſaltem vnum diem apud ſuperos adhuc degere vt ſibi liceret, rogabat; quo tempore de pecunijs vxori nonnihil iniungeret, atque vbi defoſſum theſaurum habuerit, demonſtraret; quem

oppidò dolebat in Megaclis inimici sui manus deuenturum. Dolebat etiam murum manere imperfectum; & nauium stationem inchoatam, & Pisides sub iugum nondum missos; & Lydis tributum non imperatum; nec sibi adhuc magnificum monumentum erectum: nec inscripta & commentarijs credita, quæ in vita gesserat; quibus expediendis, non vnum diem, sed viginti annos consumturus erat. Dolebat, vxorem suam seruo, filiam tyranno in manus venturam; statuas & imagines sibi erectas, euertendas; neque illorum vllum, qui eum, tamquam amicissimi, instar Numinis alicuius adorauerunt, obstiturum; & mille alia talia. Nam auro, argento, purpurâ peristromatis, equis, cœnis, famulitijs, delicijsque omnibus carendum erat; ac insuper Rhadamanthi iudiciũ vehementissimè metuebat, apud quem suas crudelitates ac libidines, aliaque flagitia sciuerat acriter accusanda; à quo, quia & ipse noua supplicia, & ad immanitatem suam explendam recens inuenta in terras induxerat, præter alias pœnas, iussus est, non more ceterorum bibere ex obliuionis fonte, vt hoc pacto tantò grauiora tormenta persentisceret, recordans, semperq; animo

mo verſans, & quis fuerit, & quanta apud ſuperos potentia præualuerit: maximè autem, cùm animo identidem recoleret, quantis doloribus, quantas delicias ac voluptates commutârit, ex Crœſo Irus, ex fortunato infeliciſſimus factus. Hæc ferè, & plura de *peßima* diuitis morte Lucianus.

§. III.

*Poëticum Exemplum pauperis morte gaudentis.*

At de Cyniſco paupere, & Micyllo ſutore, omnia in contrarium recenſet, qui Hecates cœnâ ac ouis luſtralibus, cumque his ſepiâ crudâ, deuoratis vitam finiere: illudque ſolùm, contra Parcas, queſti ſunt, quòd tam longo tempore, apud ſuperos errare permiſſi eſſent; & Lacheſis vniuerſam colum ferè illis ſolis adglomeraſſet. Nimirum adeò pauperes erant, vt eam ob cauſſam ſe à Morte contemni ac negligi arbitrarentur, neque exiguam eſſe iniuriam exiſtimarent, tot annis in vita relictos eſſe. Quærit igitur Clotho, cur tam grauiter ferant vitæ moram, pro qua alij mille auri puri talenta ſe daturos repromiſiſſent? Cui reſpondet Micyllus: *Non admodum me delectat munus illud Cyclopis, videlicet in hunc modum polliceri:*

*Post omnes alios, tandem ipse vorabitur Vtis.*

*Siue enim primum deuoret, siue postremum, ijdem me dentes manent. Sed enim neque alias meæ res, vt diuitum se habent. Nostra enim & illorum vita (quemadmodum aiunt) perpendiculo inter se distant: quandoquidem tyrannus, qui in vita horrendus omnibus & suspiciendus videbatur, nunc auro, argento, vestibusq; exutus, tum & equis, cœnis, pueris, ac mulieribus post se relictis, eorum desiderio non iniuria cruciatur, ac à tot commodis se abstrahi fert graviter: quibus nescio quomodo, anima ipsa velut glutino hæret affixa, neque se facilè sinit auelli, vt quæ eis jam diu inhæserit: quin magis tamquam vinculum aliquod est infragile, cui ipsos illigari irretiriq; contingit, adeò vt vbi quisquã eos abducere parârit, plorent. Ac cùm in ceteris sint feroces, in hac tamen via, quæ ad inferos ducit, meticulosi deprehenduntur. Itaq; subinde dant terga, & ad ea, quæ procul in luce, apud superos geruntur respicere gestiunt: sicut stultus hic faciebat, qui non solùm in itinere aufugere conabatur, verùm etiam hîc mortem frustra deprecatur. At ego, vt qui in vita pignus haberem nullum, non agrum, non domum magnificè extructam, non aurum, non supellectilem,*

non

non nominis gloriam, non imagines, ad mortem expeditus meritò eram. At statim vt mihi solùm innuit Atropos, abiectis & subula, & loro geniculari, tantùm crepidam quamdam manu portans voluntarius sequebar, vsq; adeò haud grauatim, vt dum præ festinandi studio subsulto, neque calceos subligârim, neque atramentum abstersérim. Immò verò præcurrebam, quæ ante me essent spectare gestiens. Neque enim à tergo mihi erat relictum quidquam, quod me vel conuertere, vel reuocare potuisset. Et per Iouem, quæcumque hîc apud vos video, mirum quàm mihi placent: nam pares honorum gradus hîc dari, nec quemquam vicino præstare, res mihi omnium longè suauissima videtur. Deinde coniecturam facio, ne as quidem alienum hîc à creditoribus reposci, neq; tributum cuiquam pendi, neque, quod omnium maximum est, hyberno tempore quemquam rigere, neque ægrotare, neq; potentiores in humiliores pugnos ingerere. Postremò pace consistunt omnia, & in contrarium tota vitæ ratio versa. Siquidem nos pauperculi ridemus, discruciantur autem & plorant diuites. Cùm apud superos propter tyrannum habitarem, quæ apud eum fierent, nimis quàm accuratè inspectabam. Actum quidem feliciter, ex æquo cum dijs viuere mihi vi-

debatur. Nam cùm purpuræ florem ſpectarem, & comitantium turbam numerarem, aurum ac pocula gemmis diſtincta mirarer, lectos argenteis pedibus ſuffultos ſtuperem: beatum planè hominem prædicabam. Ad hæc, eorum quæ in cœnam apparabantur, nidor ſæpe me prurire faciebat. Iam verò cùm pro maieſtate in publicum prodiret, & ſe ipſe ſubinde erigens velut reſupinaret, obuijsq; ſtuporem injceret, ceteris mortalibus pulchrior, & fortunæ beneficio toto penè regio cubito ſublimior videbatur. Sed vbi jam vita functus eſſet, ipſe quidem iſtis delicijs exutus ridiculo fuit omnibus: ego verò meam ſtultitiam multò magis ridebam, qui eiuſmodi non hominem, ſed hominis probrum, ad ſtuporem vſque, miratus fuiſſem, cuius felicitatem, ex epularum tantùm nidore æſtimaſſem, quemq; ob ſanguinem, qui Laconici maris teſtudinibus innaſcitur, beatum prædicaſſem. Neque verò hic ſolùm mihi ludo fuit, verùm etiam cùm Gniphonem illum fœneratorem gementem viderem, & quòd pecunijs, dum licuiſſet, vſus non fuiſſet, propriam ſortem deplorantem. Immò quòd ne ſemel quidem illis à ſe guſtatis, verùm luxu perdito Rhodochari relictis, è vitis exceſſiſſet (hic enim quia genere proximus erat, in hæreditatem lege vocabatur) hæc, inquam, cùm

*cùm cerverem, risum sistere nullo modo potui, præsertim recordatus, quàm in vita pallidus semper & squallidus obambulasset, & vultu præ curarum magnitudine tristi. Deinde, quòd solis digitis opulentus fuisset, quibus talenta, & milliones supputare consueuisset, ea paulatim, & minutatim corradendo, quæ fortunatissimus Rhodochares haud ita multò post fuerat egregiè distracturus.* Hæc Micyllus vbi pro felici pauperum morte, contra infelicia diuitum fata perorauit, Cynisçus, in cymba Charontis, inter nauigandum, nautica aliqua cantilena, remiges cantans accendere voluit: sed opulenti plorando obstrepuerunt; & vnus quidē vociferabatur: *Hei mihi, quæ reliqui prædia?* Alius *verò: Heu quàm fertiles agros?* Alius: *Me miserum, qualem reliqui domum?* Alius, *Væ, væ infantulis meis.* Alius: *Quis nunc vuas decerpet è vitibus, quas hoc anno plantaui?* Hæc Micyllus plorantes ridebat. Sed iubebatur & ipse cum plorantibus complorare, quandoquidem fas non esset, quemquam, citra lachrymas pernauigare. Negantem sibi caussas esse plorandi rogabat Mercurius, vt saltem pro more pauliſper ingemeret. Cui Micyllus, *Quin hac gratia, quando ita vis,* inquiebat, *plorabo.*

Cumque aliam plorandi cauſſam nullam poſſet excogitare, ita ingemuit: *Hei mihi, quot lora reliqui, hei crepidas antiquatas! Eheu marcidos calceos. Non ego infelix poſthac à manè ad veſperam vſq; ſine cibo peragam, nec hiemis tempore ſine calceis & ſeminudus oberrabo, dentes præ frigoris acerbitate complodendo. Quis tandem meam habebit ſubulam? quis aciculam?* Talia nimirum pauperibus in morte occurrunt momenta lamentandi.

§. IV.

*Hiſtoriæ ſacræ diuitum mortem timentium.*

Poëtica hac fictione homo etiam impius expreſſit veritatem, qua agnita, vel ipſi Philoſophi Ethnici opulentiæ paupertatem antetulerunt, vt expeditiùs morerentur. Sed longè efficaciùs, quàm ægrè diuites, quamq; magno animo pauperes ex hac vita exeant, veræ hiſtoriæ docuerunt. Balthaſſar rex Babylonis, magnæ potentiæ, magnarum opum, exemplo Nabuchodonoſoris patris, hoc eſt, aui ſui, qui ante eum fuerat in figuram beſtiæ commutatus, non eſt correctus: ſed *fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, & præcepit iam temulentus, vt afferrentur vaſa aurea & argentea,*

Daniel. 5. 1.

*quæ*

*quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem &c: Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, ferreos ligneosq; & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est: & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius adse inuicem collidebantur.* Ecce quò diuitiæ ducant; raptæ è templo à Nabuchodonosore, per filium eius Euilmerodach, ad nepotē Balthasarem (qui consueto scripturæ more, aui sui filius vocatur) sacrilega hæreditate transierunt; ille, vt opulentus, epulatus est; immo & inebriatus; deinde non solùm sacrilegus possessor, sed etiam vsurpator fuit, nam nouum sacrilegiū commisit vasa Deo dicata profanando. Deniq; id fecit, non sine insigni contumelia veri Dei, cui in vasis cultui eius dicatis insultauit, quippe cum combibonibus suis laudabat *deos suos aureos & argenteos, &c.* quasi victores Dei Israël. At non morata est vindicta diuina. Non enim duntaxat eâdem statim nocte interfectus, & regnum eius ad

Ierem. 27. filius filij eius vocatur.

Medos & Persas translatum est, sed etiam animaduertens, mortem sibi portendi, totus cohorruit; & mortem vel temulentus ita apprehendit vehementer, vt *facies eius commutaretur*, & quæ antè vino rubebat, iam repentè expallescebat; quique paulo priùs totus erat in lætitijs, iam subitò intemperijs agitaretur, & *cogitationes eius conturbarent eum*; quin etiam adeò vel suspicione necis commouebatur, *vt compages renum eius soluerentur*, adeò totis artubus contremiscebat, vt *genua eius ad inuicem colliderentur*. Quod videmus etiam sæpe contingere illis, qui inter pocula saturi arma & prælia iactant, ipsique etiam Marti & cæ minantur. Putares illis robur & æs triplex circa pectus esse, sed cùm ad rem venitur, cùm confligendum est, & manus conserendæ, tum morbum fingunt, tum medicinam sumunt, ne cogantur prælijs interesse. Quin & cùm verè ægrotant, animo magis quàm corpore deijciuntur, nec quidquam tristiore vultu audiunt, quàm cùm dicitur: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Quod vbi vel Ezechias audiuit, *fleuit fletu magno.* Nimirũ *amara est memoria mortis homini pacem habenti in substantijs suis.*

Isa. 38. 1.

Eccli. 41. 1.

§. V.

## §. V.

### *Quàm vehementer Antiochus mortem timuerit?*

Quod etiam in Antiocho demonstratũ est, qui, vt mortem euaderet, quid non fecit? immo quid se facturum non simulauit? 1. *Cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina ad monitus plaga.* 2. *Cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Adeò non mente tantùm illuminatus est, sed lingua quoq; errorem suum confitebatur. 3. Vt seriò loqui videretur, etiam opera adiecit. Nam *& ciuitatem, ad quam festinans veniebat, vt eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorũ faceret, nunc optat liberam reddere; & Iudaeos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed auibus ac feris diripiendos traditurũ, & cum paruulis se exterminaturum dixerat, aequales nunc Athenienſibus facturum pollicetur.* En vt se emendauit! En vt maleficia beneficijs compensat! 4. *Templum etiam sanctum, quod priùs expoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturũ, & pertinentes ad sacrificia sumtus de redditibus suis praestaturum* spondet. Vides vt etiam

2. Mach. 9. 11.

Deo

Deo velit satisfacere? 5 *Super hæc & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem promittit.* Quid potuit ampliùs expectari, aut optari? 6. Scripsit & ad Iudæos litteras humanitatis plenissimas. Denique omnem lapidem mouit, & tamen de eo dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Ipsum homicida, & blasphemus pessimè percussus, & vt ipse alios tractauerat, peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.* Quid ita? cur tanta faciens misericordiam non est consecutus? Respondet Augustinus: *Nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ, & fidei.* Atqui *Iudæum se futurum* promisit? An non hoc erat in vnitatem Ecclesiæ, & fidei velle venire? Nimirum hæc omnia cogitabat, dicebat, faciebat Antiochus tantùm vt sanitatem consequeretur; neque ex animo credebat in Deum Iudæorum, neque verè statuebat seruare religionem ab ipso præscriptam; tantùm enim hæc tam speciosa promittebat, vt posset euadere præsentem calamitatem; quasi Deum id lateret, aut diuinus oculus decipi posset. Nimirum vsq; adeò potentes isti omnia ponunt

2. Mach. 9. 13. & 28.

S Aug. de vera & falsa pœnit. cap. 11.

nunt in hac vita, vt mortis effugiendæ causſa, quiduis agere, quiduis pati; & vel religionem ipſam, omniaque ſacra & profana vendere velint, nihilq; magis quàm mortem abominentur. Eſt enim *mors peßima peccatorum.* Pſal. 33. 22.

## §. VI.

### *Quàm ſit pretioſa mors ſanctorum, Sadoth declarauit.*

At pauperum *mors pretioſa, quia ipſorum eſt regnum cælorum.* Hinc mortem non formidant, ſed ſperant, tamquam ianuam felicitatis. Simeoni Epiſcopo & martyri, ſucceſſit in officio Sadoth, apud Perſas Chriſtianorum perſecutores; cui quale oſtentum ſit viſum, ipſe clam ad ſe conuocato clero in hunc modum expoſuit. Vidi, hac nocte, fratres, per ſomnum, ſcalas à terris vſque ad cælum ſplendidè erectas. Ad verticem earum, in cælo, conſiſtebat, clariſſima in luce refulgens inclytus martyr Simeon Epiſcopus; is me ad pedem ſcalarum in terris ſtantem, ita compellabat: *Aſcende ad me Sadoth, aſcende, ne timeas: ego enim heri aſcendi, tu autem cras aſcendes.* Quod ego ita accipio, vt exiſtimem, ſicut ille priore anno pro Chriſto mortem oppetijt, ita me hoc anno

Pſal. 115. 15. Matth. 5. 3. Surius ex Metaphr. 20. Febr.

anno, pro eiusdem nomine sanguinem profusurum. Hæc vbi dixit, cœpit etiam diaconos ac presbyteros præsentes ad mortem fortiter patiendã his verbis adhortari. *Fratres mei dilecti & Patres, Deum amemus ex tota anima, & Dominũ Iesum Christum ex tota mente: & induti lorica fidei non timebimus omne malum. Mors autẽ & cædes si ad nos venerit, non formidemus, sed vnusquisq; nostrûm bellum gerat pro viribus, & decertet, vt perfectus athleta. Nam siue moriamur, moriemur vt perfecti: siue viuamus, viuemus vt iusti. Quòd si etiam moriamur, moriamur propter nostrum Saluatorem Iesum Christum. Cùm ergo ensis det vitam, adeste, & eum rapiamus. Et quoniam micat gladius, æternæ vitæ opes nobis comparemus. Quàm diu enim est dies, celeri pede pergamus ad mansionem regni cælestis, vt abundantiorem honorem, & gloriam æternam consequamur, & omni futura generatione vobis nomen & gloriam relinquamus. Fratres, oremus Deum nostrum, vt citò nobis impleat hanc visionẽ. Nam cum gaudio & desiderio, & magno amore accipit spiritualis aduentum talis mortis: neq; timuerit aliquis, qui fuerit præparatus. Carnali autem est terribilis, & formidandus eius aduentus. Spiritualis non timet mortem,*

vt

*vt qui vitam possideat spiritalem. Carnalis verò caligat, & tremit, vt qui carnalẽ vitam habeat. Qui sunt viri boni, promptoq́ & alacri animi studio, talem mortem persequuntur, vt ex ea vitam aternam possideant. Qui sunt autem ignaui & pigri, ij, eâ visâ, se abscondunt. Qui Deum diligunt, ad Deum excesserunt. Qui verò mundum, manent in mundo. Illi quidem resoluti ad lætitiam, & exultationem, hi autem ad afflictiones, & suspiria.* His verbis S. Sadoth se, & centum viginti octo de clero, ita accendit, vt omnes, sub Sapore, lætantes, & cantantes, & Deo gratias agentes, catenati ad mortem currerent. Nam ferro, non affectu alligati, à paupertate sua, ad cælestes diuitias, liberè, sponteque properauerunt.

## §. VII.

### *Pretiosa Blesillæ & S. Ioannis Eleemosynarij, pauperumq́ mors.*

De Blesillæ viginti annorum viduæ morte ita matrem Paulam consolatur D. Hieronymus. *Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius pœna aternus ignis æstuat. Nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obuiam Christus occurrit: grauemur magis, si diutiùs in tabernaculo isto mortis habitemus.* D. Hieron. in vita S. Blesillæ viduæ.

Quia

2. Cor. 5. *Quia quàm diu hîc moramur, peregrinamur à*
Psal. 119. *Domino. Illa, illa nos cupido teneat: Hei mihi,*
*quia peregrinatio mea prolongata est à me, habi-*
*taui cum habitantibus Cedar; multum pere-*
*grinata est anima mea. Si Cedar tenebræ sunt,*
*& mundus iste sunt tenebræ, quia lux lucet in*
Ioan. 1. *tenebris, & tenebræ eam non comprehende-*
*runt: faueam Blesillæ nostræ, quæ de tenebris*
*migrauit ad lucem, & inter fidei incipientis ar-*
*dorem, consummati operis percepit coronam.*
*Reuera si sæculare desiderium; &, quod Deus à*
*suis auertat, delicias vitæ huius cogitantem,*
*mors immatura rapuisset, plangenda erat, &*
*omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc ve-*
*rò, cùm propitio Christo, ante quatuor fermè*
*menses, secundo quodammodo se baptismo laue-*
*rit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo,*
*semper monasterium* (& in eo voluntariam
paupertatem) *cogitârit, non vereris, ne tibi*
*Saluator dicat: Irasceris, Paula, quia tua fi-*
*lia, mea facta est filia? Indignaris de iudicio*
*meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriã possi-*
*denti? Scis enim quid de te; quid de ceteris tuis*
*cogitem?* Huc vsque Hieronymus, qui mor-
tem Sanctorum vsque adeò felicem ac pre-
tiosam esse iudicauit, vt ne mater quidem
filiæ obitum debeat deplorare. Ioannes Pa-
triarcha

triarcha Alexandrinus, qui pauperes Dominos suos appellabat, morte instante, mirificè lætabatur, dum gratias Deo ageret, quòd morienti sibi nihil superesset, præter vnum nummum, quem statim indigenti dari iussit. Annuum quippe illi patriarchatûs vectigal, annuæ in egenos eleemosynæ erant, nihil sibi reseruanti, præter Christum. Neq; enim quicquam aliud suum esse dicebat, asserens, ideò sacerdotibus neque possessionem, neque partem, neque hæreditatem inter reliquas tribus datam, quoniam pars & hæreditas, & possessio eorum est Dominus. In summa, teste Ioanne Climaco, *Probatus ille est, qui mortem diebus singulis expectat; sed ille sanè sanctus, qui hanc horis singulis desiderat;* quod faciunt pauperes spiritu, quia aliquid lætius sperant, post mortem, secuturum. *Neq; enim, auara angustaq; Christianorũ religio est,* inquit S. Franciscus Xauerius, *similiter vt Bonziorum: non excludit cælo pauperes, non mulieres, si modò Christianè pieq; vixerint; quibus tamen Bonziorum siue auaritia, siue superstitio, caliter interclusit.*

Ioann. Diac. in vit. S. Gregor. Magn. lib. 2.

Ioan. Climac. in scala cæli, grad. 61.

Horat. Tursell. lib. 4 c. 5. de vita S. Francisc. Xauerij.

# CAPVT X.

## *Pauperum diuitias esse regnum cælorum, quod non solùm ipsis promissum, sed etiam aliis per ipsos.*

### §. I.

### *Pauperum eminentia regia, etiam in hac vita.*

MEritò censetur gratia diuina eos supra naturam euexisse, qui mortem, quã natura horret, non solùm, diebus singulis, expectant, verùm horis quoq; singulis desiderãt. Tales ergo cùm sint pauperes spiritu, conficitur paupertatem in beneficijs esse numerandam. Et quidem cur pauperes mortem non formident, sed ament, satis est declaratum; vt enim auari, per mortem, ad tormenta, ita pauperes spiritu ad gaudia tendunt, *quoniã ipsorum est regnum cælorum.* Non est ipsorum quidem terra, sed maius quid, nempe ipsum *regnum cælorum;* vt de D. Martino Turonensi Episcopo canit Ecclesia: *Martinus hic pauper, cælum diues ingreditur*, nam ex promisso Christi, ipsius *est regnum cælorum.* Ex quo Christi oracu lo duo intelliguntur: pri-

Matth. 5. 3.

mum

mum est eiuscemodi pauperes non in altera duntaxat vita, sed etiam in hac diuitibus esse beatiores. Alterum, eos non sibi duntaxat, sed etiam alijs esse vtiliores. Quod inde potest doceri; quia tametsi Seruator noster etiam mitibus, & misericordibus, & mundis corde, &c. regnum cælorum promittat, non promittit tamen, sub nomine *regni cælorum*, sicut paupertati voluntariæ, & patientiæ in tribulationibus est promissum. Mitibus enim sub nomine *terræ*, misericordibus sub nomine *misericordiæ*, mundis corde sub nomine *visionis Dei*, lugentibus sub nomine *consolationis &c*: beatitudinem æternam consignat. Pauperes verò beati dicuntur, *quoniam ipsorũ est regnum cælorum*, eminent enim inter ceteros, quasi quidam reges. Qua de caussa non ait: *quoniam ipsi sunt de regno cœlorum*, sed, *ipsorũ est regnum cœlorum*. Quod ergo discrimen est inter reges & subditos, id quodammodo est inter pauperes ac diuites beatos. Regis regnum, subditi de regno esse dicuntur. Cùm ergo ait Dominus, *ipsorum est regnum*, ita eos extollit, vt pro regibus velit haberi. Quòd si hoc verum est in ijs pauperibus, qui non sponte, sed patienter tantùm sunt pau-

peres, quantò magis conueniet illis, qui li-
bera voluntate diuitias abijciunt, & cal-
cant, paupertatemque vltrò profitentur?

§. II.

*Pauperum poteſtas regia etiam in hac vita.*

Iam verò illud conſideratione dignum eſt, quòd diuina ſapientia, quæ cæteris de futuro mercedem promittit, dicens: *poſſidebunt terram; conſolabuntur; ſaturabuntur; miſericordiam conſequentur; Deum videbunt; filij Dei vocabuntur: ſolis autem pauperibus, ac perſecutionem patientibus* ait: *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; quia, vt D. Bernardus ait: *Regnum cælorum pauperibus non tam promittitur, quàm datur.* Hinc non dicit, *ipſorum erit*, ſed, *eſt regnum cælorum.* Etſi enim vera æternaq; beatitudo, non in hac, ſed in altera primùm illis vita, haud ſecus ac ceteris ſanctis, conferenda ſit, iuxta illud: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*; attamen honoris & certitudinis cauſsâ iam illorum eſſe dicitur. Enimuerò iam eſt, quoad quamdã iuriſdictionem, ac poteſtatem id alijs quoq; aperiendi. Atq; hoc eſt alterũ, quod paulò priùs diximus, pauperes alijs eſſe longè plus vtiles, quàm diuites. Diuites poſſunt

Exod 33. 20.

alijs

alijs pecuniam, possunt vestem, possunt cibum, possunt domum dare, cælum dare non possunt. Atqui pauperes possunt. Non possent autem regnum cælorum alijs dare, si id illorum non esset. Regis esse regnum, populum regni esse dicimus. Christus autem ait, pauperes non tantùm ad regnum cæleste pertinere, sed etiam regnum cæleste esse ipsorum. Etenim adeò est illorum, vt habeant potestatem illud etiam alijs dandi, seu alios in illud recipiendi. Quomodo, inquies, possunt pauperes regnum cælorum alijs dare? Diuina id veritas docet his verbis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16.9. Ita enim planè est, ad hanc pauperes voluntarij gloriam euehuntur, vt veluti cælestes quidam reges, regnum cælorum, quod illorum est, etiam alijs distribuant. Quamquam enim hæc Dei sit iurisdictio propriè, tamen pauperes sic voluit Deus honorare, vt eorum caussa facilè eos ad regnum cælorum admittat, qui illis stipem dant, atque idcirco, quia *misericordes sunt, misericordiam consequuntur.* Non dixit autem Christus, *vt postquàm pauperes mortui fuerint, recipiant vos ibi*, sed, *vt cùm* vos *de-*

*feceritis*, seu mortui fueritis, ipsi *recipiant vos*, adhuc in hac vita manentes. Quod proprium est regum, qui etsi extra regnum suum versentur, tamen alios in regnum intromittere possunt. Ad eumdem enim modum pauperes, adhuc extra cælum existentes, alios ad cælum queunt promouere, non impetrando tantùm, sed etiam viscera eorum mouendo, vt fiant misericordes, atque idcirco & ipsi misericordiã consequantur. *Hæc est illa perfecta iustitia*, inquit Lactantius, *quæ custodit humanam, de qua Philosophi loquuntur, societatem. Hic diuitiarum maximus ac verissimus fructus est non vti opibus ad propriam vnius voluptatem, sed ad multorum salutem; non ad præsentem suum fructũ, sed ad iustitiam, quæ sola non interit.*

Lactant. l. 6. c. 12. de vero cult.

§. III.

*Regnum cælorum dare, esse pauperum, quia id possunt impetrare orando.*

Orationes sanè pauperum dignas esse, quæ impetrent, quod orant, ostendit D. Petrus in Thabitha, quæ *erat plena bonis operibus, & Eleemosynis, quas faciebat*, pro qua Petrum *circumsteterunt omnes viduæ flentes & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illa Dorcas.* Ob quas preces eam Apostolus à

Act. 9. 36.

morte

morte ad vitam reuocauit. Flexit Petrum oratio pauperum, & non flectat Deum infinitè misericordem? qui semper *respexit in orationẽ humiliũ, & non sprevit precẽ eorũ.* An non intuens eleemosynas dantis, & preces accipientis, peccatorem quoque, qui peccata sua eleemosynis redimit, ad gratiam, quæ est vita spiritualis, reuocabit? immò an non defunctos ad æternam vitam in cælo degendam admittet? Hac de caussa in primitiua Ecclesia agapæ funerales sunt institutæ. *Cur post mortẽ tuorũ pauperes vocas;* inquit Chrysostomus, *cur presbyteros, vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro, te responsurũ: vt defunctus requiẽ adipiscatur, & propitiũ judicẽ inueniat.* De qua consuetudine loquitur etiam D. Paulinus cùm scribit: *Itaque patronos animarũ nostrarũ pauperes, qui tota Roma stipẽ meritant, multitudinẽ in aulam Apostoli congregasti. Pulchro equidẽ tanti operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor, tota illa religiosa miseranda plebis examina, illos pietatis diuinæ alumnos tantis influere penitus agminibus in amplissimã glorioſi Petri basilicã, per illam venerabilẽ regiã carula eminus fronte ridentẽ, vt tota & intra basilicã, & pro ianuis atrij, & pro gradibus campi spatia*

Psal. 101. 18.

Dan. 4. 24.

S. Chrysostom. in Matth. homil. 32.

S Paulin. ep. 31. ad Alethiũ de funere vxoris Rufinæ, filiæ S. Paulæ.

*coarctentur. Video congregatos ita distincte per accubitus ordinari, & profluis omnes saturari cibis, vt ante oculos Euangelicæ benedictionis vbertas, eorumq; populorũ imago versetur, quos quinq; panibus & duobus piscibus, panu ipse verus & aquæ viuæ piscis Christus expleuit.* Hæc & plura ibidem S. Paulinus de epulis, quæ, pro defunctis, dabantur paupertinæ plebi. Cui olim accensi sunt & sacerdotes & Religiosi. Ita enim scribit Origenes: *Sic itaq; nos diem natiuitatis celebramus, quia in perpetuo viuunt hi, qui moriuntur: celebramu nimirũ Religiosos cum sacerdotibus conuocantes, fideles vnacum clero, inuitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, vt fiat festinitas nostra in memoriã requiei defunctis animabus, quarũ memoriã celebramus; nobis autem efficiatur in odorẽ suauitatis in conspectu æterni Dei.* Ad eumdem finem & olim, & etiamnum mendici ad fores templorũ sedere consueuerunt; non enim modò id fiebat, ne obstrepentes sacra agentibus in Ecclesia, atq; inibi precantibus molesti essent; sed & vt ingredientes in templum priùs ipsos exorarent, atq; ita grati eorum postea preces, suis quoque precibus geminarent potentioresq; redderent. Vt enim

Origen. lib. 3. in Iob.

enim plurium vox longiùs auditur, quàm vnius, ita fortior fit altiúsque in cælum ascendit oratio illius, cum quo orant eleemosynæ pauperibus distributæ. Nam & hoc quoque Dominus indicat, cùm ait: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terrã, de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Morem hunc mendicos extra Ecclesiam, ad mendicandũ (nam ad alia diuina peragenda ingredi eis licebat) constituendi, discimus in claudo illo, qui a suis ad templi portam Speciosam fuit expositus. Caussam indicat D. Chrysostomus, dum ait: *Propterea & ante Ecclesias, & martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, vt nos ex eiusmodi spectaculo multũ capiamus vtilitatis: Considera namque quòd nobis terrenas ingredientibus regias, nihil huiusmodi cernere licet, sed viri honesti, & splendidi, & diuites, & prudentes passim discurrunt: ad veras autem regias, ad Ecclesiam dico, & oratorias ædes, & martyrũ templa, dæmonibus pressi, truncati, pauperes, senes cæci, membra ferentes obtorta. Quid hoc tandem? vt tu docearis.* Quid? audire illos foris, vt te audiat Deus intus; succurrere illorum egestati, vt tuæ vicissim necessitati succurrat

Matth. 18. 19.

Actor. 3. Chrysost. ad pop. Antioch. hom. 18.

currat Deus. Nam si audiueris, audieris. Illi enim tecum orabunt, quia pro te. *Itapetitionũ clamor*, ait D. Gregorius Nazianzenus, *internis templi cantibus ex aduerso respondet, atq; è regione mysticarũ vocũ miserabilis luctus excitatur*. Sic ergo pauperum est regnum cælorum, vt illud alijs quoque impetrent, quorum orationi pondus addunt; & cum illis velut canes quidam venatici, cælum venantur, quemadmodum B. Amadéus Sabaudiæ dux dicere solebat.

D. Gregor. Nazianz. in orat. de amore pauperũ.

Sebast. Munster. lib. 2. Cosmog.

## §. IV.

### *Regnum cælorum à pauperibus aperiri, dum alios ad misericordiam mouent.*

Sed altero quoque modo vim habent, vt recipiant diuites in æterna tabernacula, qui se eorum ærumnis passi sunt moueri, vt fierent misericordes, & diuitias suas per eos, ante se, in cælum, præmitterent, per eleemosynam, quia *ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiã, & vitã æternam*, ait Archangelus. Et Dauid: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*. Qui, licet sit iudex æquissimus, tamen hac pecunia se sinit placari, quæ per manus pauperum ad eum transmissa ex iudice patronum facit. Siquidem,

Tob. 12. 8.

Psal. 40. 1.

dem, vt aureum os loquitur. *Hæc Christi astat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm & ipsi persuadens Iudici, vt reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat: & licet millies peccauerit, coronat, & victorem promulgat.* Propertij versus est.

S. Chrysost hom. 33. ad pop.

*Haud vllas portabis opes, Acherontic ad vndas,*
*Nudus ad infernas, stulte, vehêre rates.*

Propert. lib. 3.

Quàm vellent res suas secum tollere diuites cùm moriuntur? Sed, præter vilem pannũ, aut vestes exiguas, mox à putredine atque vermibus consumendas, nihil hinc secum auferre sinuntur; nec, si sinerentur, prodessent. Est tamen vnus ille modus, quo, quidquid volunt, vtiliter possunt, per manus pauperum, ad cælestes thesauros transmittere, si quidem egentibus non pigeat committere. *Patrimonium Deo creditum,* ait S. Cyprianus, *nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur.* Quo pacto Ribadeneira scribit, S. Catharinæ Senensi aliquando Christum apparuisse, eiúque crucem argenteam exhibuisse (quam illa, cùm aliud ad manum non haberet, pauperi dederat) atque adiecisse, se illam olim in extremo

S. Cypr. tract. de opere & eleemosyna.

Ribaden. in vita S. Catharinæ.

tremo judicij die toti mundo ostensurum. Vsque adeò non perdita illa erat, sed seruata. Quemadmodum illa eleemosyna, quam D. Gregorius refert, à pia quadam muliere datam. Illa enim, cùm duobus martyribus peregrino habitu apparentibus stipem pro more suo porrexisset, in gratiarum actionem hæc ab eis verba audiuit: *Tu nobis modò opitularis, tibi nos extremo & periculosissimo die opitulabimur.* Ita non modò *beati sunt pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, sed etiam quoniam ad illud alios quoque possunt promouere: immò & illi sunt beati, qui pecuniam, cibos, vestes, aliaque dant pauperibus, quia vsuram vberem atque honestam exercent. Nempe *terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus*, ait D. Gregorius.

## §. V.

### *Misericordes misericordiam consequi.*

S. Augustin. hom. 13. lib. 50. Homilia.

Præclarè id docet etiam D. Augustinus in hunc modum diuites alloquens: *Mundum præstat Deus pauperi, præstat & diuiti. Numquid quia dives est, duos ventres impleturus est? Attendite, & videte, quoniam de datis Dei pauperes saturati dormiunt. Qui pascit vos, pascit illos per vos. Ergo non ametur pecunia, sed si jam*

si jam habent hoc inde fiat. Diuites, qui illam habetis, estote. Sed vnde diuites? In operibus bonis; facilè, inquit, tribuant, communicent. Hìc jam auaritia contrahit se, quando audit, facilè tribuant, communicent, velut aquâ frigidâ perfunditur, rigescit, stringit sinum, & dicit: non perdo labores meos. Infelix perdere vis labores tuos. Ecce morieris, & qui nihil hinc attulisti, nihil hinc potes auferre. Cùm nihil abstuleris, nonnè perdidisti omnes labores tuos? Audi ergo consilium DEI: nolo terrearis, quia dixit: facilè tribuant, communicent. Audi & quod sequitur, expecta, noli contra me claudere ostium, nec aditum cordis tui, expecta. Vis nosse, facilè tribuant, communicent, quia non perdes, & hoc solùm non perdes: Thesaurizent, inquit, sibi fundamentum bonum in futuro, vt apprehendant veram vitam, ista ergo qua te delectat, falsa vita est, quasi in somnis hìc viuis. Si quasi in somnis hìc viuis, euigilaturus es, quando morieris, & nihil habes in manibus tuis inuenire. Quomodo si mendicus dormiat, & in somnis illi veniat hæreditas, nihil illo felicius, antequam surgat. Videt se in somnis tractare manibus vestes egregias, pretiosa vasa, aurea, & argentea, intrare in amœnissima, & amplissima prædia, obsequi sibi magnas familias:

euigilat,

euigilat, & plorat. Et quomodo vigilans accusat hominem, qui illum expoliauit, sic illum accusat, qui illum excitauit. Apertissimè hinc locutus est psalmus: Dormierunt, inquit, somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis, posteaquam finierunt somnum suum. Quia ergo nihil attulisti, nihil hinc ablaturus es. Mitte sursum, quod inueneris, & non perditurus es. Da Christo, Christus enim hîc voluit accipere. Da Christo, & perdis? non perdis. Si commendas seruo tuo, quod acquisiuisti, & non perdis, commendas Domino tuo, & perdis? si commendas seruo tuo, quod acquisiuisti, & non perdis, perdes si commendes Domino tuo, quod accepisti ab ipso Domino tuo? Egere hîc voluit CHRISTVS, sed propter nos. Omnes pauperes, quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per coruum Eliam pauit; tamen & ipsi Eliæ subtraxit coruum, vt à vidua pasceretur, non Heliæ præstitit, sed viduæ. Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipse non vult, vt ipsi habeant, quando facit pauperes, probat diuites. Sic enim scriptum est; pauper & diues occurrerunt sibi. Vbi sibi occurrerunt? In hac vita. Natus est ille, natus est ille. Inuenerunt se, occurrerunt sibi. Et quid? fecit autem ambos Dominus. Diui-

Psal. 75.

tem,

tem, vnde pauperẽ adiuuaret; pauperẽ, vnde ditem probaret. Pro viribus suis vnusquisq; faciat. Non sic faciat, vt ipse patiatur angustias. Non hoc dicimus. Superflua tua necessaria sunt alijs. Audistis modò cùm Euangelium legeretur: Quicunq; dederit calicem aquæ frigidæ, vni ex minimis meis propter me, non perdet mercedem suam. Regnum cælorum venale proposuit, & pretium eius calicem aquæ frigidæ esse voluit. Sed quando est pauper qui facit eleemosynam, tunc debent eleemosynæ eius esse calix aquæ frigidæ. Qui plus habet, plus faciat. Vidua illa de duobus minutis fecit, Zacchæus dimidium rerum suarum dedit, & ad reddendas fraudes suas, aliud dimidiũ reseruauit. Eleemosynæ illis prosunt qui vitã mutauerunt. Das enim Christo egenti, vt peccata tua redimas præterita. Nam si ideò illi das, vt liceat tibi semper impune peccare, non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris: ergo ad hoc facite eleemosynas, vt vestræ orationes exaudiantur, & adiuuet vos DEVS ad vitam in melius commutandam. Et qui commutatis eamdem vitam, in melius commutate, vt per eleemosynas & orationes deleantur mala vestra præterita, & futura bona veniant sempiterna.

§. VI.

## §. VI.

### *Cur prudentes domini, pauperes magni faciant.*

Quis vmquam diues tantam habuit potentiam, quis authoritatem tantam? Pauperi das, & Deus accipit. Immò & pauper tibi cælum aperit, teque recipit. Recipere in cælum Dei est, sed adeò illi chari sunt pauperes, vt hanc jurisdictionem suam velit cum illis habere communem. Hanc illorum potestatem quia agnoscunt Principes & Reges, ideò tantis eos sibi largitionibus deuinciunt, sibique amicos reddere studeant, vt ab eis in æterna tabernacula recipiantur. Placilla Theodosij Imper. vxor, teste Theodoreto, pauperes & infirmos sua manu fouebat; cùm autem quidam vellent illam ab hoc opere auocare, dixit: *Aurum distribuere decet Imperatorem: ego autem pro ipso Imperio, ei qui idipsum dedit, operam hanc offerre debeo.* S. Augustinus, teste Possidonio, vasa Dominica, ob captiuos, & alios egentes frangi iussit, & in eos dispensari: &, si quando Ecclesiæ pecunia deesset, populò denun tiabat, non habere se, quod in pauperes erogaret. Acacius Amidæ Episcopus, apud Socratem, vt pauperes Persas captiuos,

Theodor. l. 5. hist. c. 18.

Possidon. in vit. S. August, c. 24.

Socrates l. 8. c. 21.

nos, numero septies mille redimeret, vasa sacra vendidit, dicens suis clericis: *Deus noster neq; lancibus, neq; poculis eget; quare conuenit hæc in milites afflictos dispertiri.* Et Theophilus, apud Sozomenum: *Præstat*, inquit, *ægrotorũ corpora, quæ verius Dei templa sunt, restaurare, quàm lapidea ædificare*; quantò magis, quàm profana palatia, theatra, sphæristeria, marmorea equorum stabula? Sozomen. l. 8. cap. 12.

## §. VII.

*Sicut nos erga pauperes gerimus, ita se erga nos gerit Deus.*

D. Augustino consonat Lactantius, qui simul etiam inanem quemdam metum remouet ab ijs, quos solicitudo incurrendæ paupertatis impedit à liberalitate in pauperes. Ita enim loquitur: *Dicet aliquis fortasse: si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim si magnus hominũ numerus egebit, algebit, capietur, morietur; vt hæc facientem vel vno die patrimonio exui sit necesse: perdámne rem familiarẽ, meo aut maiorũ labore quæsitam; vt jam ipsi mihi aliena misericordia viuendum sit? quid tu tam pusillo animo paupertatẽ times, quam etiã vestri Philosophi laudant? nihil hac tutius, nihilq; hac tranquillius esse testantur? Hoc, quod times, solicitudinis portus est. An ignoras, quot* Lactant. l. 6. de vero cultu cap. 12.

periculis, quot casibus, cum his malis opibus subiaceas? quæ tecum bene agent, si sine tuo cruore transierint. Tu verò onustus incedis, & spolia geris, quæ irritent animos etiam tuorũ. Quid ergo dubitas, bene collocare id, quod tibi fortũtan eripiet, aut vnum latrociniũ, aut existens repentè proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Quid verere, fluxum & fragile bonum facere sempiternũ, aut thesauros tuos custodi DEO credere; vbi non furem prædonemq; timeas, non rubiginem, non tyrannum? qui apud DEVM diues est, pauper esse numquã potest. Si justitiam tanti putas, sequere abiectis oneribus, quæ te premunt, libera te ipsum compedibus & catenis; vt expeditus ad DEVM curras. Magni & excelsi animi est, despicere, & calcare mortalia. Sed si hanc virtutem non capis, vt diuitias tuas in arcam DEI conferas, vt fragilibus tibi compares firmiora, liberabo te metu. Omnia ista præcepta non tibi soli dantur, sed omni populo, qui mente coniunctus est, & cohæret, sicut homo vnus. Si solus magnis operibus non sufficis, pro virili parte operare justitiam; sic tamen, vt quantum diuitijs inter cæteros, tantum opere præcellas. Neq; nunc suaderi tibi putes, vt rem tuam familiarem minuas, vel exhaurias, sed quæ in superuacua fueras impensurus, ad melio-

ra con-

*ra conuertas. Vnde bestias emis, hinc captos redime; vnde feras pascis, hinc pauperes ale; vnde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli. Quid prodest perditæ nequitiæ bestiarios facere locupletes, & ad flagitia instruere? Transfer ad magnum sacrificium malè peritura, vt pro his veris muneribus habeas à DEO munus æternum. Magna est misericordiæ merces; cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum. Si audieris, inquit, preces supplicis tui, & ego audiam tuas; si misertus laborantium fueris, & ego in tuo labore miserebor. Si autem non respexeris, nec adiuueris, & ego animum tuum contra te geram, tuisq; te legibus judicabo.*

## §. VIII.

*Exempla eorum, qui, per pauperes, sibi ad cœlum aditum fieri vtiliter crediderunt.*

Euirat. in Prato Spirit. cap. 195. Prou. 19. 17.

Multis res firmari exemplis potest. Præclarum est illud, quod de Euagrio Philosopho refertur. Eum Synesius Episcopus ad Christi scholam cultumque traxerat; docuerat que, illum, qui succurrit pauperi, *fœnerari Domino*; eaque omnia, quæ in hac vita egentibus distribuuntur, in altera vita, præter centuplum, cælo remuneranda. Audijt Euagrius, & credidit, bonaque fide

Episcopo ter centum auri pondo in manus consignauit, in pauperum stipem, dicens: *Accipe hoc, & distribue pauperibus, & da mihi cautionem manu tua, quòd Christus mihi ipsum reddet in futuro sæculo.* Accepit Præsul aurum, & conditionem, syngraphamque Philosopho conscripsit. Aliquot inde vixit annis Euagrius; tandem tamen morti proximus, filios ad se vocauit, eisque hoc mandatum dedit: Ecce fatis cedo, vos mihi iusta persoluite. Cùm verò funus meum curabitis, chirographum hoc mihi in manus tradite, atque ita me tumulate, vt apud iudicem ex syngrapha agere queam. Paruerunt gnati, parentemque cum scripta cautione sua sepeliuerunt. Tertius à sepultura dies in noctem ijt; cùm Euagrius Synesio Antistiti se visendum stitit, eumque iussit ad suum sepulchrum tendere, & chartam fidei testem recipere, abundè enim sibi satisfactum esse, quod & manu suâ subscriptum reperturus esset. Facto die Episcopus cum clero sepulchrum adijt, reperit reserato tumulo chartam à se confectam, in defuncti manu hoc pacto, subscriptam: *Ego Euagrius Philosophus accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumq; mihi est, & nullum*

*nullum habeo contra te jus, propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & Salvatori nostro.* Contigit hoc miraculum, vt constaret, vbi thesaurum suum reperturus esset, qui eum audet pauperibus concredere. Quod quia vtilissimum est, Robertus rex Franciæ pauperibus stipem sua manu distribuebat, eorumq; manus exosculabatur, & quotannis, die Iouis sacro, trecentis iusculum, piscem, panem & nummum argenteũ porrigebat, & quocumque ibat, plena pauperum plaustra secum circumuehebat, tamquam exercitum, vti aiebat, quo cælum iret expugnatũ, dicebatque: hoc esse genus hominũ, quibus Deus cæleſtis regni fores tradidisset, ijs aperiendas, qui in ipsos misericordiæ viscera priùs aperuissent. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei,* ait Salomon. Hinc & S. Leo: *Deus,* inquit, *fideiussor est pauperũ, & largissimus redditor vsurarum.* Quamobrem D. Chrysostomus homiliam propriam de hoc argumento fecit, cui titulus est:

Baron. An. 1033. Bodinus lib. 6. de Rep. c. 2.

Prou. 19. 17.

S. Leo serm. 6. de ieiunio 10. mensis.

S. Chrys. hom. 33.

*Quòd eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.*

# CAPVT XI.

## Pauperum diuitias, esse Virtutes.

### Pauperum diuitias esse regnum cœlorum spe & re.

Prou. 13. 7. QVàm verè dixit Salomon? *Est quasi diues, cùm nihil habeat: & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Quid enim pauperius diuite, cui non solùm admodum difficile est, intrare in regnũ cælorum, sed etiam si vult intrare, debet intrare per pauperum preces, & ab illis, stipe data, cælum quodammodo emere? Vnde meritò censetur magna pars diuitiarum, quas possident, ad pauperes pertinere; siue deinde titulo iustitiæ, siue charitatis ad eos pertineant. Quia certè, etsi, vt D. Chrysostomus dixit, *Diuitiæ non sunt peccatum, tamen peccatum est, eas non distribuere pauperibus.* Atque hinc etiam *est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit:* nam ad illum pertinent, quæ diuitibus superfunt. Accedit, quòd sint *diuitiæ maximæ, non egere diuitijs.* Quin, si rem rectè ac suis momentis volumus ponderare, diuitiæ ibi demum veræ sunt, *vbi tinea non corrumpit,* profectò necesse est, pau-

Matth. 5. 3. peres esse in multis diuitijs, *quoniam ipsorum*

est

*est regnum cælorum*, non spe duntaxat, sed etiam re, quia etiam adhuc in hac vita degentes potentiam habent, illud alijs, dicto modo, largiendi. Hinc enim Seruator non ait: *Ipsorum erit*, sed *Ipsorum est regnum cælorum*, potestate scilicet. Erit autem etiam possessione, quia, vt sanctissimus Antistes ait, *soli illi, qui se cognoscunt pauperes, & confitentur tibi, Domine Deus, paupertatem suam, ditabuntur à te: quoniam qui se diuites existimant, cùm sint pauperes, à tuis diuitijs inuenientur excluſi.* Et alio loco: *Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, vt per paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inueniri. Vis nosse, quàm locuples sit? Cælum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum?* Ac rursus alibi. *Vobis dico, pauperes, qui mendicatis, qui de eleemosyna Christianorum viuitis. Consolamini, consolamini, tribulatio vestra conuertetur in lætitiam, & dolor vester in gaudium. Non vobis sit ingratum, quòd mendicatis, nec ideò in corde vestro aliquid contra Deum dicatis, quia ille iustus & pius, in omnibus operibus suis. Et ideò te fecit pauperem, vt sufferendo breuem inopiam, æternam vitam acquireres.*

S. Augustin. lib. soliloq. cap. 15.

Idem in cõmun. serm. 59.

Idem ser. 3. de Natiuit.

*Et diuitem ideò fecit, vt dum tibi superfluadiret, remedium peccatis suis acquireret.* Rectè igitur vereque dixit Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

## §. II.

### *Regnum cælorum, quod pauperum esse dicitur, variè accipi.*

Quamquam etiam aliud mihi insuper videtur latere arcanum in his verbis. *Regnum* enim *cælorum* non solùm est in cælo empyreo, vbi beati cum Christo regnabunt in perpetuas æternitates; verùm etiam in terris. Nam variè in diuinis litteris *regnum cælorum*, & *regnum Dei* accipitur. 1. Pro vita beata & præmio, quod Sanctis datur, vt cùm Christus dicit: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*, quia non itur ad cælum verbis, sed factis. Id ipsum intelligit S. Ioan. Baptista, cùm ait: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum:* dicitur enim appropinquare regnum cælorum, quia cùm antè clausum fuisset, paulò pòst per mortem Christi erat aperiendum, ante quam nemo in cælum ingressus est. 2. Pro Ecclesia, vt cùm dicitur: *Multi ab Oriente & Occidente veniente-*

Matth. 7. 21.

Matth. 3. 2.

Matth. 8. 11.

*venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum*, hoc est, in Ecclesia, *filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*. Rapuerunt enim, hoc est, extorserunt multi gentiles fidem, Euangelium, Ecclesiam de manibus Iudæorum, qui in possessione erant. 3. Pro gratia & renouatione Spiritus, & choro virtutum; quo sensu ait Christus: *Ecce regnum Dei intra vos est.* Quemadmodum ergo alibi transfigurationem suam regnum suum vocauit, non quia propriè regnum, sed quia futuri regni imago erat; ita in illo homine regnum cælorum esse dicitur, in quo est quædam regni cælorum similitudo. Est autem maxima similitudo in eo, in quo fides obscura claræ visioni Dei viam sternit, & spes comprehensioni, charitas amori gaudioque respondet, ac ceteræ virtutes, per quas nos Deus regit, & in quibus regnat; sicut regnat in cælo. Igitur *beati* sunt *pauperes*, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*, hoc est, tanta virtutum collectio & plenitudo, vt iam in cælo esse videantur; quarum possessione, longè sunt diuitibus mundi ditiores. In his lucet aurũ, sed plus lucet fides & virtus in illis. Qua de caussa vtrosque ita alloquitur D. Augusti-

Luc. 17. 21. Matth. 6. 28.

S. Augustin. super Psal. 105.

nus: *Aduersus Dominum nolite murmurare. Audite me, ô pauperes. Quid non habetis, si Deum habetis? Audite me, diuites, Quid habetis, si Deum non habetis?* Qui alibi addit. *Ergo videamus, qui aurum non habet, quid habet. Virtutem habet, fidem habet.* Omnes virtutes habet. Habet ergo regnum Dei intra se.

Idem in commun. ser. 59.

## §. III.

### *Paupertatem, vt virtutum, ita & diuitiarum esse causſam,*

Quamobrem *est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Quemadmodum Crœsus aliquis, *est quasi diues, cùm nihil habeat.* Siquidem vt D. Gregorius testatur, *solæ diuitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus diuites efficiunt. Si ergo, fratres, diuites esse cupitis, veras diuitias amate; si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curiâ adscribi festinate.* Est autem Angelorum curia, regnũ Dei, ad quod tenditur per virtutes, hoc est, per regnum, quod Deus habet in nobis. Quòd si ergo paupertas ad virtutes viam sternit, efficitur & veras diuitias esse pauperum, & regnum cælorum non solùm ad illos pertinere, verùm etiam intra

Prou. 13. 7.

S. Gregor. in Euang.

illos

illos esse. Quemadmodum ergo diuitiæ occasio sunt omnium vitiorum, vt suprà monstraui, ita paupertas ansam præbet omnium virtutum. E corporis morbo, vt ait Plutarchus, quidam hoc excerpunt commodi, quòd vacant negotijs, quibus distinebantur, & quosdam labores obiecti reddidere validos. Sic multis exilium, paupertas, naufragium, adde & bellum, & quidquid infestus secum fert hostis, occasio fuit philosophandi.

§. IV.

*Paupertatem esse otij inimicam, laboris patronam.*

Atque inprimis constat, sicut otium vitijs aditum aperit, ita labore industriaque virtutes comparari. *Multam enim malitiam docuit otiositas, & cùm dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit Zizania in medio tritici, & abijt.* Nimirum *sicut aqua*, ait B. Laurentius Iustinianus, *quæ caret decursu, ac iacet in foueis, putrescit, ac humano vsui aliena efficitur, repleturq; animalibus venenatis & noxijs; ita & corpus otij tabe confectũ concupiscentiarũ ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam.* Quod Valerius hoc exemplo confirmat. *Appiũ Claudium crebrò solitum*

Eccli. 33. 29. Matth. 13. 25.

B. Laur. Iustin. lib. de perfect. gradib. c. 9.

Val. Max. lib. 7.

*solitum dicere accepimus: Negotium populo Romano melius, quàm otium committi. Non quòd ignoraret, quàm jucundus tranquillitatis status esset; sed quòd animaduerteret, prapotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendã excitari; nimia quiete in desidiã resolui. Et sanè negotiũ nomine horridũ, ciuitatis nostra mores in suo statu continuit, blanda appellationis quies plurimis vitijs resperſit.* Diogenes certè otiosorum negotium amorẽ esse dicebat, quòd hic affectus potissimùm occupet otio deditos. Ita enim fit, vt dum otio vacant, in rem negotiosissimam incidant. Et Poëta:

Laërt. l. 6.

*Otia si tollas, periêre cupidinis arcus,*
*Contemtæq; jacent, & sine luce faces.*

Ex aduerso autem, labor & occupatio vitia excludunt, virtutem & laudem pariunt. *Etenim ignauiâ*, ait Sallustius, *nemo immortalis factus est; neq; quisquam parens, liberis vt aeterni fierent, ignauiam optauit, magis vt boni & honesti vitam suam agerent.* Quemadmodum autem diuitiæ faciunt otiosos, ita paupertas & egestas laboriosos. Vide mihi à prima ætate pueros nobiles, quibus non illecebris trahendi sunt ad studia litterarum honestissima (nam ad mechanicos labores animum adijcere, piaculum est) aiunt se

Sallust. in Iugurth.

non

non velle fieri Doctores; satis habere opum cum progenitoribus; non opus esse, vt litteris ac scientijs se alant. Hinc vel obiter libant libros; vel toto anno eos non aperiunt pulueribus plenos, sed *conchas legunt*, vt dici solet; sed hospitia, sed sphæristeria, sed lustra adeunt, sed in siluis feras quærunt; immò in vrbibus lupas. At pauperum filij ab ipsa rerum indigentia ad laborem impelluntur; si enim non volunt olim esurire, more parentum, artes discunt, quibus se alant. Hinc, quando semel animum ad studia litterarū appulerunt, totos sese Musis dedunt, quarum ope sperant, se supra vulgus, atque ex inopia emersuros. Quod idem videre est etiam in adultis, honestè se sustentare cupientibus, illi enim vtilissimis cogitationibus mentem implent, itaque se occupant negotijs serijs, vt ludis, poculis, conciliabulis malorum, impudicorum angulis, Bacchо, Veneri, & quæ alia fert otium, vacare non possint; cùm ne ad aures quidē scalpendas sibi otium esse arbitrentur. Quare, vt à non nemine *ignaua* dicta *est opulentia*, ita viciſſim *industriam* esse paupertatem, paulò post ostendemus. De ijs autem, qui voluntariè sunt pauperes, etsi rectè dicatur:

*Nemo*

2. Tim. 2. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus*; tamen certum est, quòd nulli rei magis dent operam, quàm vt ne horæ quidem quadrantem sinant abire otiosum, sciunt enim ambulandum esse dum lucem habent, & serendum esse eis, qui volunt tempore suo messem colligere. Vnde aiunt: *Omnia aliena sunt, tempus tantùm nostrum est.* Ac sanè vel sic quædam tempora nobis eripiuntur, quædã subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam fit. Hanc iacturam ergo qui agnoscunt religiosi, jam legunt, jam scribunt, jam orant; ac ne nihil agant, vel corbes texunt; dantque id vnicè operam, vt orationem lectio, lectionem meditatio excipiat; tunc maximè occupati, quando diuinis rebus occupantur. Quo pacto Scipio Africanus, si quando vacans à negotijs bellicis in litteris versaretur, dicere solebat, se numquam minùs otiosum, quàm cùm esset in otio.

Senec. ep. 1,

Cic. l. 3. de offic.

## §. V.

### *Paupertas humilitatis mater est, sicut superbia filia diuitiarum,*

De humilitate, seu animi submissione quid multis disputabo? sicut diuitiarum

vermis

vermis est superbia; ita humilitatis radix est paupertas. Si enim humilitas, teste D. Bernardo, est virtus, qua verissima sui cognitione sibi ipsi quilibet vilescit; quis sibi vilior videtur, quàm pauper? Quis verius dicere potest: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me?* Pauper non se vestit splendidè, non fert gemmas in auribus, non annulos in digitis, non torques aureos circa collum. Non epulatur opiparè, non ædificat magnificè: sed in humili degit casula, & decote panno tectus, de eo viuit, quod rus parit. Quantæ humilitatis fuit Ruth? quæ *cadens in faciem suam, & adorans super terram,* indignam se, rata est vt peregrina nosceretur, seq; ancillam vocitans, Domina facta est. Vnde tam humilis euasit? Pauper erat. Maria quoque Virgo, nonne illa est, cuius Deus *respexit humilitatẽ,* tamquã, *ancillæ suæ,* atque idcirco eam in suam Matrem exaltauit? nempe eadem illustris fuit virginitate, paupertate, humilitate. Inde digna erat, quæ & matèrnitate emineret. Nimirũ hæc est via ad verũ honorem. Nam *qui se humiliauerit, exaltabitur, qui autem se exaltauerit, humiliabitur.*

S. Bernard de gradib. Humil.

Psal. 130.

Ruth. 2. 10.

Luc. 1. 48.

Matth. 23. 12.

Atque

Atque hac ipsa de caussa docet D. Chrysostomus, diuitias esse fugiendas, quia titulis, & pompis, & superbiæ alimenta ministrant. Verba illius sunt: *Sed honores, inquiunt, conferunt diuitiæ, & in inimicos facilius vltionem præstant, & ob hoc videbitur necessarium esse opus diuitiarũ, quæ vitijs ministrant, & vim tribuunt effectum, atq; inanes ambitionum bullas inflant amplius, & extollunt in maius, quòd quæ superbiæ malũ exiguunt, tumidiùs. Immo prò his maximè erant diuitiæ fugiendæ; hoc enim est bestias feras homines in animis suis collocare, & in pectore nutrire. Et iterum diuitiæ suadent, vt honore quidem vero cælestiq; careatur; falsum verò hunc veri illius colore solum, & simulata imagine fucatum requiri honorem, non veritate, sed nomine. Sicut enim meretricis vultus plerumq;, cùm fœdus, & turpis est, per naturam, fucis, & coloribus pigmentatus ostenditur, ad decipiendos, qui ignorant, quid sub velamine illius fuci contegatur; sic & diuitiæ faciunt, cùm adulatorium volunt honorem videri, neq; voces illæ populi, per quas judicibus acclamatur, ex veritate proferuntur, sed ipsæ sunt, quibus fucatum nomen depingitur honoris: nam si conscientias interroges acclamantium ibi, inuenies apud vnumquemq; eorum mille te capitibus accusari.*

S. Chrys. in tract. Quòd nemo læditur nisi à se ipso.

Denique

*Denique vbi metus cessauerit potestatis, & publicæ pompæ fuerit scena resoluta; tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti insimulantes, & hi omnes illi sunt, qui prius acclamabant, & immensis te laudibus extollebant. Hæc tu honorem dicis? & hæc diuitijs quærenda credis, quæ etsi sponte adessent, recusanda erant? plus enim quidem odij, quàm amoris acquirunt. Sed, si vis, ostendam tibi honorem verum. Honor virtus animi est, hic honor neque è Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur, nihil in se fucati habet, nihil simulati, nihil occulti: huius honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus: honor hic temporibus non mutatur, neque patitur tyrannos, nec picturam tabulæ metuit aliquando esse delendam.* Hunc verum honorem spectat humilitas, quærit paupertas: falsum illum horret, fugit, execratur, quem diuitiæ pariunt. Hinc, sicut pecunia & superbia, quodam velut fœdere iunguntur; ita vicissim plerumque & paupertas & humilitas sociantur; proq; vano honore verus honor, & potentia quædam supernaturalis comitatur. *Argentum & aurum non est mihi*, ait Petrus, qui reliquit omnia, *quod autem habeo, hoc tibi do:* Act. 3. 6.

*in Namine IESV Christi Nazareni surge & ambula.* Plus fuit vsum membrorum dare, quàm aurum & argentum; cùm & ipsi auari, quid non auri & argenti darent, vt vel podagram à se excuterent, vsumque pedum recuperarent?

## §. VI.

### *Amor paupertatis fons liberalitatis.*

Supra c. 2. §. 3.

Auaritia, quæ cum diuitijs crescit, paupertatem voluntariam habet è diametro repugnantem. Nam de ijs, qui eam inuiti ferunt, non loquor, in prima scilicet classe suprà ab Hugone comprehensis. Quisquis enim paupertatem amat, non amat pecunias, sed vilipendit, spernit, spargit, abijcit. Quare nemo voluntario paupere est liberalior. Siquidem liberalissimus est, qui omnia donat. Donat autem omnia, qui omnia, propter Deum, vel sibi patitur libenter auferri, vel vltro dat pauperibus, aut templis, aut Dei amicis; atque hac ipsa liberalitate, non tantùm ostendit, se paupertatem diuitijs anteferre, sed etiam verè dominum esse suarum diuitiarum. Nam, teste S. Hieronymo, *Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit, vt seruus; qui autem seruitutis discusserit iugum, distribuit eas, vt Domi-*

*Dominus.* Inueniuntur quidem & diuites liberales, pauci tamen eorum sunt promi magis, quàm condi; cùm interea vltronei pauperes plenis modijs opes suas in egenos profundant. Immo, si liberalitas est virtus bene dispensandi diuitias in vsus bonos sibi suisque, & alijs; nemo tali paupere vel sibi, vel suis, vel alijs meliùs pecunias suas dispensat. Quis enim maiores facit largitiones, sine spe retributionis, in hac terra? Etsi parum habet, non tamen parum dat, qui omnia dat. *Uberior est nummus ex paruo, quàm thesaurus ex maximo: quia non tantum quod datur, sed quantum desiderat, perpenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui sibi nil reliquit,* ait S. Ambrosius. Animus vocatur liberalis & manus; sed manus propter animum. Quantus ergo animus est, tanta est liberalitas. Potest igitur & in paupere, qui vel parum, vel nihil habet in manu, magna liberalitas esse; quia magnus illi sæpenumero animus est diuitias bene dispensandi. Quod vel ex Seneca audi, ita enim loquitur: *Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate consisterent, eò maiora essent, quò maiora sunt, quæ accepimus. Id autem falsum est, nunquam enim nos magis*

S. Thom. 2. 2. q. 117. a. 1.

S. Ambr. lib. 1. de viduis.

Senec. lib. 1. de beneficijs c. 7.

obligat, qui dedit parua magnificè, qui regum aquauit opes animo: qui exiguum tribuit, sed libenter, qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit, qui non voluntatem tantùm iuuandi habuit, sed cupiditatem, qui accipere se putauit beneficium, cum daret; qui dedit tamquã non recepturus, recipit tamquam non dedisset: qui occasionem, qua prodessent, & occupauit, & quæsiuit. Contrà ingrata sunt, vt dixi, licet re ac specie magna videantur, quæ dantis aut extorquentur, aut excidunt: multoq; gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur. Exiguum est, quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hic, quod dedit, magnum est: sed dubitauit, sed distulit, sed cum daret gemuit, sed superbè dedit, sed circumtulit, & placere, non ei, cui præstabat, voluit. Ambitioni dedit, non mihi. Socrati cùm multa multi pro suis quique facultatibus offerrent: Æschines pauper auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, inuenio, & hoc vno modo pauperem me esse sentio. Itaq; dono tibi, quod vnum habeo, meipsum. Hoc munus, rogo, qualecumq; est, boni consulas, cogitetq; alios, cùm multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates,: Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi fortè paruo te æstimas?

*mas? Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam, quàm accepi. Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem diuitijs animum, & omnem juuenum opulentorum munificentiam. Vides, quàm animus inueniat liberalitatis materiam, etiam inter angustias? Videtur mihi dixisse: nihil egisti,* fortuna, *quòd me pauperem esse voluisti: expediam nihilominus dignum huic viro munus; & quia de tuo non possum, de meo dabo. Neque est, quod existimes illum vilem sibi fuisse, qui pretium se sui fecit: ingeniosus adolescens inuenit, quemadmodum Socratem sibi daret. Non quanti quæq; sint, sed à quali dentur, perspiciendum.* Hæc de pauperis Philosophi liberalitate Seneca.

## §. VII.

### *Paupertas etiam per miracula fit liberalis.*

Quid quòd & DEVS, pauperibus suppeditat, vnde possint, non solùm muneribus animũ, sed etiam animo munera æquare, etiam cum aliàs nihil habent; vel certè parum. *Dixit Abbas Euagrius, fuisse quemdam fratrem, qui nihil habuit in substantia sua, nisi tantùm Euangelium, & ipsum vendidit in pauperum nutrimento: dicens quodam verbo quod memoriæ dignum est commendari:* Ex lib. 5. de vitis PP. & Ruffin. lib. 3. num. 70.

*Ipsum etiam, inquit, verbum vendidi, quod iubet, Vende omnia, & da pauperibus. Abbas Theodorus, cognomento de Pherme, habebat tres codices bonos. Et cùm veniſſet ad Abbatem Macarium, dixit ei: Habeo tres codices, & proficio ex lectione eorum. Sed & fratres petunt eos ad legendum, & ipſi proficiunt. Dic ergo mihi quid debeo facere? Et reſpondens ſenex dixit: Boni ſunt quidem actus: ſed melius omnibus eſt nihil poſsidere. Quod cùm audiſſet, abiit, vendidit memoratos codices, & dedit indigentibus pretium ipſorum.* Quin & munera pauperum extendit Deus, vt extenderet liberalitatem. Indicat hoc hydria farinæ, & lecythus olei, ex quibus Eliæ eleemoſyna eſt collata. Nam *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus.* Pari pacto à paupere Chriſto dati quinque panes, & duo piſces in immenſum multiplicati ſunt. Ita S. Lydwinæ pauperis Virginis vinum, quod pauperibus dedit, in vaſculo creuit. Quid, quòd pauper adeò fuit opulentus, vt diuitibus, & adeò regibus ipſe daret? Carilephum Presbyterum bubali colla mulcentum, reperit inter venandum Francorum rex Childebertus, eum verbis aſperis ex eo loco faceſſere iuſſit. Aſt ille

3. Reg. 17. 16.

Matth. 14. 17.

Sur. 1. Iulij.

memor

memor patientiæ ac mansuetudinis Christi, mitissimè respondens, regi etiam vini poculum obtulit, ex vuis, eo loci prodigiosè expressis. Rex contempto musto rustico, cum indignatione, abscessit. Sed equo obrigescente, diuinitus coactus est subsistere, atque opem Carilephi implorare. Et ope, & exhortatione adiutus, oblati priùs poculi potum jam vltrò expetijt. *Quod, cùm esset allatum sua manu vir Dei obtulit regi vino plenum, qui illud hilariter accipiens, totum vinum exhausit. Inde etiam alijs, qui aderant, bibentibus, rogabat eos sacerdos Christi, vt tertiò, & quartò biberent, vsq; ad satietatem, dicens ae pleno semper impertire eum, quem non opprimat in largiendi voluntate paupertas: nec vmquam animam diuitem facultate destitui: nec posse abundare hominem mente mendicum. Ita factum est, vt copiosa multitudo, quæ cum rege erat, ad satietatem biberet, nec vinum tamen in vase minueretur. Sed quid mirum, si vas plenum vino remansit sacerdotis Carilephi meritis, cùm ipse author vitæ, qui quinq; panibus quinque hominum millia satiauit, promiserit, maiora eos facturos, qui in eius nomine essent crediturí?* Ecce quomodo rex fuerit *quasi diues* in silua, *cùm nihil haberet;* & Ca-

rilephus *quasi pauper, cùm in multis diuitys esset?* Tam diues est paupertas, vt liberalis esse queat etiam in reges; & si desit, quod donet, etiam miraculis abundet.

## §. VIII.

### *Paupertas Pacis & Concordiæ mater, sicut auaritia discordiarum.*

Diuitiæ scopus sunt inuidiæ, litium, discordiarum; paupertas amoris, pacis, concordiæ est incitamentum. Quantos tumultus moueant opes, suprà docuimus. Quid conferat paupertas ad pacem Plato testatur, qui ait: *Felix & beata erit ciuitas illa, in qua hæc duo verba* MEVM *&* TVVM *non audiuntur, eò quòd communibus rebus, quæ alicuius æstimationis sunt, quoad fieri possit, ciues vtantur.* Cui enim citiùs inuidetur, quàm plus habenti? pro qua re sæpius litigatur; quàm pro pecunia? quid magis facit discordes, quàm diuersæ possessiones? Vnde & in religiosis Ordinibus, tanta est concordia; quia ibi, vt amicorum, omnia communia habentur, & duo illa verba MEVM ac TVVM, quàm potest diligentissimè eliminantur. Duo fuêre religiosi viri, qui multis annis, sub vno tecto, in vna mensa, simul orarunt, simul cœnarunt; simul labori & quieti vacarunt.

Suprà c. 5. §. IX. Act. 4. 32. Stobæus serm. 72.

carunt. Vna vtriusque voluntas, vna anima esse videbatur. Numquam inter se verbis, numquam factis conflixerunt. Incidit aliquando sermo de discordia, cùm iunior quæsiuit, quid esset discordia? cui senior respondit; Age, ostendam tibi, quid sit discordia, &, libro in medium posito, dic, inquit, *Hic liber meus* est. Tum junior obsecundans: *Hic liber*, inquiebat, *meus est*. Cui senior dixit: *Non est tuus iste liber, sed meus est*. Quo audito, iunior illico in genua accidens, *si tuus est*, inquiebat, *habeto illum tibi*. Senior igitur hoc epiphonema adiecit: *Si quidem ita affectus* es, fili mi, numquam, quid sit discordia, experieris. Vbi enim MEVM & TVVM locum non habet, ibi dissidium est eliminatum; quod nusquam alioqui non subit, etiamsi ædes pessulis, & repagulis occludantur, si MEVM & TVVM priùs intrauerunt. Est valde eius rei luculenta historia, & tragico cothurno memoranda, quam Bernardinus Scardeonius in memorias hominum misit, de geminis fratribus Limineis ex antiquissima familia oriundis. *Legimus*, inquit, *ex hac gente fuisse aliquando duos fratres, qui per æstatem, ruri, noctu, post cœnam, cùm ambo sub dio, in atrio domus, de*

Bernardin. Scardeon. l. 3. class. 13. in descriptione vrbis Patauij.

*diuersis rebus, diuersa inter se loquentes starent, suspicientes, & contemplantes innumeras stellas, quas tunc fortè sereno cælo, fulgere videbant, per iocum alterum, velut ridendo, dixisse: Precari se tot sibi boues esse, quot stellas fulgere conspiceret. Alterum mox itidem per iocum respondisse: Vtinam mihi pratum esset, instar cæli latum; & ad fratrem conuersum dixisse: Vbi tuas pasceres boues? At illum, In tuo prato, dixisse. Rursum alterum, Si nollem? Te etiam inuito: alterum respondisse. Tuné me inuito! inquit. Te etiam inuito, ille respondit. Et ita altercando risu in iram, & mox ira in rixam, & in serium furore conuerso, dum neuter alteri cedere vult, exertis vtrimq; gladijs, quibus fortè ambo erant infeliciter accincti, se inuicem transfixerunt. Et hinc vnus, illinc alter humi decidentes exanimes in suomet sanguine voluntantur, donec à domesticis, qui eos altercantes audierant, delati intra domum fatali hora properante extincti sunt.* Hoc facit vel fictum & iocosum MEVM ac TVVM; quid non posset serium? Cùm ergo absit à paupertate tam MEVM, quàm TVVM, abest etiam hæc causſa litium ac controuersiarum, quarum locum pax aurea occupat. Quam, cùm poscamus omnes, cur non poscimus, vel saltem

saltem patienter ferimus paupertatem?

## §. IX.

*Paupertas temperantiæ mater.*

Eadem etiam sobrietatem ac temperantiam promouet, atque quæ ex ea nascitur castitatem. Quemadmodum enim nummati habent, vnde cellas, ac culinas, atque inde ventrem impleant; ita pauperibus deest copia vini, quia deest copia nummi; neque eiborum lautitias mensis inferunt, apud quos caput cœnæ est olus, etiam cùm festiuè epulantur. Quare si non virtute, saltem necessitate frugalis est mensa egenorum. Corpus autem, quod non saginatur, minùs vtique luxuriat. *Abstinentia ciborum, contra hoc vitium fortissima est*, ait S. Gregorius, *Si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cùm cibos subtrahis; & vinum præsertim in quo, vt est apud Apostolum, luxuria est.* Et D. Ambrosius: *Pascitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Quòd si igitur *temperantia est animæ affectio, cõercens, & cohibens appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur*, vt S. Augustinus eam virtutem definit, & si adeò delectationem corporis, in vsu cibi & potus inhonestarumque voluptatum moderatur;

S. Greg. in lib. 1. Reg l. 5. cap 14. S. Ambr. lib de pœnit. 1. cap. 14. S. Augustin. lib. 1. de lib. arb. c. 13. S. Thom. 22. q. 141 & Aristot. 3. Ethic. c. 10.

profe-

profectò hanc virtutem egregiè fulcit paupertas. Quare Religiosi vnà & paupertatē vouent, & castitatem. *Vis esse perfecta*, scribit ad Hedibiam S. Hieronymus, *& in primo stare fastigio dignitatis? fac, quod fecerunt Apostoli: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, vt nudam solamq; crucem nuda sequaris & sola.* Facile enim est, cogitare, superato amore diuitiarum, Apostolos & matrimonijs carere voluisse. Nam si vxores habere voluissent, soliciti esse debuissent de modis, quibus familia alenda fuisset. Siquidem, *qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* In quæ verba D. Anselmus ita scribit: *Solicitus est, quæ sunt mundi, &c. id est, studet multiplicare diuitias variamq; supellectilem, vt habeat, vnde pascat vxorem, & filios.*

S. Hieron ep. 150.

1. Cor. c. 7. 33.

## §. X.

### *Pauperis oratio quàm potens?*

Nihil de obedientia dicam, cùm constet, diuites imperia magis affectare, quàm obsequia; & mandare malle, quàm obsecundare: pauperes autem vt ad seruiendum promtos, ita & paratos ad obediendum. Quòd si autem inopū est, se se libenter submi-

mittere iugo potentiorum, atque illis parere, quantò maiore reuerentia se Deo subijcient atque ab illo opem petent? Quòd si *oratio humiliantis se penetrat nubes*, & tantò altiùs ascendit, quantò se orans profundiùs demittit; nemo profectò humilior esse solet, quàm pauper, ad quem se Deus ipse inclinat, de quo Dauid ait: *Respexit in orationem humilium, & non sprenit precem eorum.* Quisunt isti humiles? illi qui alibi pauperes vocantur; ita enim dicitur: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Quid ergo? an diuitum orationes non admittit Deus? Respondet Chrysologus: *Deus suscipit pauperes, sed diuites non repellit; habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes.* Nimirum sanè diuites non repellit, si ipsi venire, & pulsare non negligant, si institerint, vt admittantur, non excludentur liminibus; sed pauperes attrahuntur, quia quasi velint nolint adducuntur. quo pacto? per orationem qua ad Deum ascenditur, & mens in Deum eleuatur. Magnum tamen est inter pauperis, & diuitis orationem discrimen. Orat diues, quem grauant opes: mille curis distrahitur, mille perturbationibus retrahitur: oratio talis ascendit, sed tam languens immo frigida,

Eccli. 35. 21.

Psal. 101. 18.

Psal. 9. 30.

Chryso. log. ser. 28.

da, vt loco beneficij haberi debeat, si nõn repellatur, & dicatur: *nescio vos*. Orat & pauper, sed quia nudus est, & sæculi impedimentis liber, immo à calamitatibus etiam impellitur, ideò oratio eius expeditiùs, sine onere, ardentiùs cum calamitate ad cælum euolat, & velut in funiculis Adam attrahitur. Agite igitur, siue sponte, siue per vim pauperes, hoc vobis nunc superest, vos, oratio, & affectus vester ad Deum tantò potentius attrahitur, quantò pauciores habet impedientes. Nihil ergo vobis deesse dicite? omnia potest, cuius oratio accessum habet ad omnipotentem. Hæc solem stitit in medio cælo; immo etiam ad decem horas retroegit. Talia qui potest, cur queratur, sibi bouem abactum? aut ademtum peculium? Quamquam omnino, qui queritur, talia non potest. Voluntarij enim pauperis oratio ad Deum attrahitur, qualis fuit D. Dominici, qui auditus est dicere, nihil se vnquam à Deo precibus contendisse, quod non impetrârit.

Iosue 10. 4. Reg. 20.

Petr. Ribad. in vita eius.

§. XI.

*Paupertas spe & fiducia itemq; iustitia & fortitudine locuples.*

Ecce quàm potens sit pauper Dominicus! Nihil simile audet dicere vel potentissimus

Impe-

Imperator. Quare & spes, & fiducia in diuinam prouidentiam coniungi solet cum paupertate. Quin & iustitia: nullus enim alterius bonis insidiabitur, quæ sua sponte censet contemnenda & abijcienda. Nec iudex amans paupertatis, se pecunijs corrumpi sinet: immo iam olim paupertas fuit iudicis incorrupti argumentum. Et sunt, qui, ob paupertatis meritum, Apostolos totius mundi iudices putant à Christo constitutos. Quin & fortitudo, atque animositas ad pericula subeunda sociatur paupertati. Si enim, *non fit sine periculo facinus magnum & memorabile*, nemo paupere periculum potest faciliùs contemnere. *Rebus in angustis facile est contemnere vitam.* Quid namque non audet pauper? cùm enim parum habeat, quod amittat, per tela, per ignes intrat; per medios hostium cuneos penetrat. Miles, qui multa plaustra spolijs plena secum circumuehit, non sibi tantùm, sed prædæ quoque suæ metuit. Vnde meritò hæc talia vocantur *impedimenta*. O quantos suæ opes retrahunt à dimicando! Quàm multi, cùm classicum canitur, ipso auro suo magis expallescunt! tunc solùm fortes, quando poculis est certandum. Domi

mi milites glorioſi, in campo fugaces cerui; qui Mercurium in pedibus, non item Martem in dextera habent. At vide mihi aliquem de grege pannoſum, oſſeum militem, qui nihil amittere poteſt niſi famem, & ſitim, ſi moritur; cùm ſtandum eſt, ſtat vt rupes; cùm pugnandum, pugnat vt Achilles; certè tam citò de fuga non ſolet cogitare, poteſtque liberiùs dicere ſibi:

Virgil. lib 9. Æneid.

*Eſt hic, eſt animus lucis contemtor, & iſtum*
*Qui vitâ bene credat emi, quò tendis, honorem.*

Multa, quæ fortitudo facit, facit paupertas, nam & ipſa contemtrix eſt timendorum, & animum aduerſus ea, quæ poſſunt enenire formar; exilia, bella, naufragia, incendia, famem & ſitim meditatur. Pauperibus dixit Dominus: *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Quaſi dixiſſet: *Multa exilia patent fugienti. Patria eſt, vbicumque vir fortis ſedem ſibi elegerit.* Sedem autem ſibi & pauper vbique eligere poteſt, & pro patria habet totum mundum. Vel hinc ſatis diues. Quia, vt Cicero ait: *Omnes ſunt diuites, qui cælo & terra frui poſſunt.*

Matth. 10. 23.

Q. Curtius lib. 5.

Cic. l. 3. de offic.

§. XII.

## §. XII.

### *A paupertate virtutum, non criminum occasionem accipiendam esse, docet Lazari exemplum.*

Ad hanc animi constantiam & robur Deus homines per incommoda paupertatis, exercet. *Ecce excoxi te*, inquit, *sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Ad hoc paupertas à benigno Numine immittitur; non ad blasphemandum, non ad furandum, non ad alia indigna committenda, vt impatientes, & diuinorum consiliorum ignari impiè cauillantur. Qui ex prima pauperum classe occasionem virtutis conuertunt in ansam vitiorum, illi sanè vt egestatem à se auerruncent, prædis, rapinis, latrocinijs, & omnibus malis artibus pecuniam venantur. In illis autem *non paupertas hæc, sed pusillanimitas facit*, ait S. Chrysostomus. *Nam & Lazarus pauper fuit, & valde pauper, cuius paupertati addebatur etiam aegritudo, & aegritudo amarissima, quæ ipsam paupertatem redderet grauiorem; vis enim morbi solatia multa deposcebat, & nullum penitus paupertas poterat adhibere: horum enim alterum, etiamsi solum sit, graue est, & doloribus plenum. Cùm autem simul iunguntur, nec adest, qui* Isa. 48. 10.

S. Chrysost. hom. quòd nemo lædi-tur, nisi à se ipso.

ſubleuet, intolerabile videtur malum, ignis inextinguibilis, & dolor ſine remedio, tempeſtas plena naufragijs, animæ ſimul & corporis flamma. Erat præterea huic beato his omnibus malis aliquid adhuc amplius, vicinitas ſcilicet diuitis epulantis quotidie luxuriosè; & ipſe adiacebat huius epulantis foribus, vt eum multò amplius excruciarent opes in oculis poſitæ, quæ vtebantur; quàm illa, quæ per penuriam deerant. Multò enim grauiùs affligit animam, quòd cogitur carere bonis, quæ videt, quàm his egere quæ non videt. Lazarum ſic diræ fames, & amaræ ægritudines vaſtabant: Miniſter verò nullus, nec vllum miſero ſolatium ex diuitis menſa, quæ paraſitos, & luxurioſos, vſq; ad diſtenſionem & crapulam ſatiabat: nec micæ quidem, quæ proijciebantur, Lazaro periclitanti dabantur. Et tamen ita pertulit hanc tam diram, tamq; teterrimam paupertatem, vt neq; amarum ſermonem, neque blaſphemiæ verbum proferret, aut illicitum: ſed ſicut aurum vehementiùs ignitum, purius & ſincerius redditur; ita etiam ille paſſionibus, & cruciatibus examinatus, clarior, & ſplendidior per patientiam reddebatur. Vides, quomodo nemo læditur à paupertate, ſed à ſeipſo? Quid enim dic mihi morbus corporis? quid penuria rerum omnium?

quid

*quid irruentes vlceribus canes? quid vicinitas diuitis auari ladere potuit athletam DEI? aut in quo his omnibus resolutus, aut fractus est à virtute animi sui? Nihil omnino. Quin immo & angustijs rerum magis solidatus est, & huiusmodi illi corona parata sunt, vnde infelicior putabatur, inde ei palma victoria; inde aeterna remuneratio, vnde cruciatus ei multiplicabatur, & iniuria; fames illa abundantiam praparabat futurorum bonorum; egritudo illa vitam conciliabat aternam: vlcera illa, qua canes lambebant, splendorem gloria per Angelos ministrandum ferebant inhumani & crudelis diuitis despectus, & ad januas eius cubile contemtum patris Abrahã pijssimos sinus, & beatitudinis eius consortia promittebant.* Idem in Vitis PP. *dixit Abbas Hyperichius: Thesaurus monachi est voluntaria paupertas. Thesauriza ergo tibi, frater, in cælo, quia ibi, ad requiescendum, sine fine sunt sæcula.* Quæ cùm ita sint, & reuera virtutum thesauri omnes Pigmalionis opes superent, qui apud pecuniarum contemtores reperiuntur,

In vitis PP. l. 3

*Quid quereris, pauper, Crœso ipso ditior? illi*
*Arcula dives erat, mens opulenta tibi est:*

# CAPVT XII.

## Æquo animo pauperibus ferendum, si vanis diuitijs spolientur, cùm virtutibus aliisq; rebus melioribus nolentes spoliari non possint.

### §. I.

*Quomodo S. Augustinus consoltus sit, opibus non virtutibus spoliatos.*

SI, vt corpori anima præstat, ita animæ quoque bona corporis bonis anteferenda sunt, vilipendendæ sunt vti que omnes diuitiæ, in virtutum comparatione. Quare maxima hinc existit consolatio pauperum ac spoliatorum, quòd opibus priuati, non priuentur possessione bonorum præstantiorum. *Amiserunt omnia quæ habebant* ait S. Augustinus, *Numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis bona, qui est ante Deum dives? Hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus: Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia: Nihil enim intulimus in hunc mundũ, sed ne auferre quid possumus, habentes autem victum, & tegumentũ his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tenta-*

S. Augustin. lib. 1 de ciuit. c. 10.

tentationem, & laqueum, & desideria multa stulta, & noxia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix est enim omnium malorum Auaritia, quam quidam appetentes à fide erranerunt, & inseruerunt se doloribus multis. Quibus ergo terrena diuitiæ illa vastatione perierunt, si eas sic habebant, quemadmodum ab isto foris paupere, intus diuite audierant; id est: si mundo vtebantur tamquam non vtentes, potuerunt dicere, quod ille grauiter tentatus, & minimè superatus: Nudus exij de vtero matris meæ, nudus reuertar. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Vt bonus seruus magnas facultates haberet, ipsam Domini sui voluntatem, cui pedissequus mente diteſceret; nec contristaretur eis rebus viuens relictus, quas fuerat citò moriens relicturus. Illi autem infirmiores, qui terrenis his bonis, quamuis ea non præponerent Christo, aliquantula tamen cupiditate cohærebant, quantum hæc amando peccauerint, perdendo senserant. Tantum quippe doluerunt, quantum se doloribus inseruerunt; sicut Apostolum dixisse supra commemoraui. Oportebat enim, vt eis adderetur etiam experimentorum disciplina; quibus fuerat tamdiu neglecta verborum.

Nam cùm dixit Apostolus: qui volunt diuites fieri, in tentationem incidunt &c. profectò in diuitijs cupiditatem reprehendit, non facultatem; qui præcepit alibi dicens: Præcipe diuitibus huius mundi, non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum suarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: bene faciant, diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Hæc qui de suis faciebant diuitijs, magnis sunt lucris leuia damna solati, plusq; lætati ex his, quæ facilè tribuendo tutiùs seruauerunt, quàm contristati ex his, quæ timidè retinendo faciliùs amiserunt. Hoc enim potuit in terra perire, quod piguit inde transferre. Nam qui receperunt consilium Domini sui dicentis: Nolite condere vobis in terra thesauros, vbi tinea, & rubigo exterminant, & vbi fures effodiunt, & furantur, sed thesaurizate vobis in cælo thesauros, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit: vbi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Tribulationis tempore, probauerunt, quàm rectè sapuerint, non contemnenda veracissimum præceptorem, & thesauri sui fidelissimum, inuictissimumq; custodem: nam & multi sunt gauisi, ibi

se

se habuisse diuitias suas, quò contingit, vt hostis non accederet, quantò certiùs & securiùs gaudere potuerunt, qui monitu Dei sui illuc migrauerant, quò accedi omnino non posset? Vnde Paulinus noster Nolensis Episcopus ex opulentissimo diuite voluntate pauperrimus, & copiosissimè sanctus, quando & ipsi Barbari Nolam vastauerunt, cùm ab eis teneretur, sic in corde suo, vt ab eo postea cognouimus, precabatur: Domine non excrucier propter aurũ & argentum; vbi enim sint omnia mea, tu scis; ibi enim habebat omnia sua, vbi eum condere, & thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat. Ac per hoc, qui Domino suo monenti obedierant, vbi & quomodo thesaurizare deberent, nec ipsas terrenas diuitias barbaris incursantibus amiserunt. Quos autem non obedisse pœnituit, quid de talibus rebus faciendum esset, si non præcedente sapientiâ, certè consequente experientia didicerunt. At enim quidam boni etiam Christiani, tormentis excruciati sunt, vt bona sua hostibus proderent. Illi verò nec prodere, nec perdere potuerunt bonum, quo ipsi boni erant; si autem torqueri, quàm mammonam iniquitatis prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autem fuerant, qui tanta patiebantur pro auro, quanta essent

ta essent sustinenda pro Christo; vt eum potiùs diligere discerent, qui pro se passos aterna felicitate ditarat, non aurum & argentum, pro quo pati miserrimum fuit, seu mentiendo occultaretur, seu verum dicendo proderetur. Namq; inter tormenta nemo Christum confitendo amisit, nemo aurum, nisi negando seruauit: quocirca vtiliora fortasse erant tormenta, quæ bonum incorruptibile amandum docebant, quàm illa bona, quæ sine vllo vtili fructu dominos sui amore torquebant; sed quidam etiam non habentes, quod proderent, dum habere creduntur torti sunt. Et hi fortè habere cupiebant, nec sancta voluntate pauperes erant quibus administrandum fuit; nec facultates, sed ipsa cupiditates talibus esse dignas cruciatibus; si verò melioris vitæ proposito reconditum aurum argentumq; non habebant, nescio quidem, vtrũ cuiquam talium acciderit, vt dum habere creditur, torqueretur. Verumtamen etiamsi accidit, profectò qui inter tormenta illa paupertatem sanctam confitebatur, Christum confitebatur. Quapropter etsi non meruit, ab hostibus cædi, non potuit tamen sanctæ paupertatis Confessor sine cæleſti mercede torqueri.

## §. II.

## Pär D. Antonini consolatio.

His

His talibus consolabatur D. Augustinus pauperes à barbaris spoliatos, quos non ad ea, quæ amiserant, modica, fluxa, & multis noxia, sed ad magna, verè pretiosa, & semper duratura aspicere iubebat, qualia bona sunt virtutes, & cæli præmia, quæ virtutes promerentur. Hoc ipsum etiam omnes facere iubebat S. Antoninus, his verbis: *Quanta pars immensi infiniti ani attributa est vnicuique? Celeriter ea in æternitate euanescit. Quantaq; est vniuersi? Quantula in globula terrà repis? Hac omnia tecum cogitans, nihil animo magnum concipe. Hoc tantùm, vt ductu naturæ agas, & feras, qua communis fert natura. Id cura, quomodo mens tua seipsa vtatur. In hoc enim sunt omnia. Cetera siue à voluntate dependeant, siue secus, mortua sunt, fumusq;.* Quidni Antoninus virtutes æquè diuitijs, ac corpori mentem anteponat, cùm vel Ethnicus *Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus?* dixerit, *Nemo ex his, quos tu felices existimas: sed eum in illo numero reperies, qui à te ex miseris constare creditur. Non erit ille diuitiis & honoribus abundans: sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor, in recessu, quàm in fronte beatior;* fide ditior, quàm ære;

S. Antonin. lib. 12. n. 28.

Val. Max. l. 7. c. 2.

moribus cultior quàm honoribus; denique ipsa locupletior paupertate.

§. III.

*Iaponensis pueri de pretio paupertatis oratio.*

Horat. Tursell. l. 4. vit. S. Franc. cap. 11.

Quod vel naturæ lumine docti vidêre Japones, quantumuis alioqui Bonziorum suorum tenebris obnubilati. Sanctus noster Franciscus Xauerius ad regem Bungi salutandum *regiam ingressus, pratorianos militum numero sexcentos, luculenter armatos offendit in vestibulo atrioq́, mox in spatiosa porticu complures è cohorte regia obuios habet, &c. Aula hinc patuit viris nobilibus plena, vbi puer septennis; sed quod facilè appareat, indolis rarè, ab sene ductus occurrit Xauerio, eumq́ more patrio salutat. Fortunatum eius in regiam aduentum regi perinde charum jucundumq́ fore, vt tempestiuus imber sit per æstatem segeti sitienti. Proinde ingrederetur latus, ac memor, se bonis iuxtà charum esse, & inuisum malis. Adque cùm Franciscus comiter ac benignè respondisset, adiecit puer: O te beatum, Pater, qui ex alio orbe in alienas terras veneris, nihil hinc mercium petens, prater infamiam paupertatis! O immensam DEI, quem colis, bonitatem! ô reconditam sapientiam! cui cordi est in suis sacerdotibus*

*bus rerum inopia egestasq3 !. En nostri Bonzij ab egestatis probro vsq3 eò abhorrent, vt jurati propalam confirment, pauperibus obstructum obuallatumq3 esse iter in cælum, &c. Porrò is puer grauissimis de rebus, supra ætatem differens, in vlteriorem aulam Franciscum Lusitanosq3 deduxit, vbi procerum filij considebant, &c.* Ita sensit de Christianorum paupertate Iapon, ethnicus, & puer, ingenio, natura, ratione doctus. Vidit enim auaritiæ & cupiditatis domitorem supra omne aurum & gemmas splendere; & longè animi opes, supra fortunæ ornamenta eminere.

## §. IV.

### *Interiora hominis bona, quæ in paupertate elucent, magis æstimanda.*

*Quemadmodum stultus est, qui empturus equum, non ipsum inspicit,* inquit Macrobius, *sed stratum eius & frænum: sic est, qui hominem ex veste, aut conditione, quæ modo vestis nobis circumdata est, æstimandum putat.* Et ille qui de Deo Socratis scripsit, *Neq3 enim,* ait, *in emendis equis phaleras consideramus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissima ceruicis diuitias contemplamur: sed istis omnibus exuuijs amolitis & amotis, equum ipsum nudum, & solum corpus eius, & animum contuemur.*

Macrob. lib. 1. Saturn. c. 11.

Apul. de Deo Socrat.

Socrat. apud Srob. ſerm. 1.

*mur.* Itaq; *neque equus generoſus iudicetur, qui ſtratũ & inſtructum ſplendidum habeat; ſed qui natura ſit talis: ita nec vir honeſtus, qui multa & æſtimabiles opes habeat, ſed qui animo ſit præſtans.* Idcirco fortuna te omnibus bonis ſuis ſpoliauit, vt non tua, ſed tu inſpicereris. Antea mortales purpuram tuã laudabant; nunc patientiam tuam admirantur. Numquam Iob ornatior fuit, quàm cùm nudus fuit. Veſtem priùs homines videbant, tunc etiam mentem. Quot vlceribus corpus ſcatebat, tot animus eius virtutibus claruit. Itaq; in ſtimo illuſtrior, quàm in ſolio extitit. Neq; illi paupertas grauis fuit, qui, ne grauaretur, ipſe dudum antea animo diuitias abiecit. Qui opes pro onere habet, illi inopia eſt pro leuamento. Et certè multæ curæ, cum multis diuitijs abeunt. Venit autẽ vnà paupertas & libertas. Vel potiùs tunc hominis libera generoſitas oſtenditur, cùm amiſſis quæ poſſederat, velut velo remoto, fortitudo eius apparet. Qui paupertati potiùs vitium, quàm pauperi aſcribunt, opinione, non re laborant. Fur pecuniam, latro veſtem adimere poteſt, in virtutes non habet poteſtatem. Et vel idcirco omnia iſta externa bona amiſit Iob, vt occaſionem haberet patientiæ

tientiæ suæ, longanimitatis suæ, fiduciæ suæ Mundo ostendendæ. Nihil deest auibus; *respicite volatilia cæli, quoniam neq; serunt, neque metunt, neq; congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonnè vos magis pluris estis illis?* Pecora in diem viuunt, feris ad alimenta solitudo sua sufficit. Itaque & vos *Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Itaque vult Christus ea à suis fidelibus non solicitè inquiri; sed solicitudinem suã in Deum proijcere omnes, quotquot Deo credunt. *Scit enim*, inquit, *pater vester, quia his omnibus indigetis.* Quare sicut pater filijs suis de cibo, de potu, de veste prospicit, ita prouidet Deus ijs, quorum paupertas hilaris, tuta & expedita est. Meliùs curatur, quem Deus curat. Curat autem pauperes, quia ob ipsam virtutẽ cura dignos iudicat: vt mox docebo. Matth. 6. 28.

## §. V.

### *Etiam qui inuiti sua bona amiserunt, consolatione non carent.*

Interim, vt & illos consolemur, qui diuitias inuiti amiserunt, easque amissas nimioperè dolent, sciant se dolendo non fieri ditiores, sed miseriores. Nam idcirco

eos

eos Deus minùs curat, quia illi nummos nummis curant. Ærario, aut marsupio debet esse similis homo. Ærario vel marsupio perinde est, siue plenum, siue vacuum sit: si infers, accipit; si aufers, silet. Non gemit, non clamat, non vociferatur; seu fur, seu dominus accedat, suo loco manet; idem est illi repleri, quod exinaniri. *Interrogata est beata memoria Syncletica: Si perfectum bonum est, nihil habere. Et illa dixit: Valde bonum est his qui possunt. Etenim hi, qui tolerare possunt, tribulationem quidem carnis habent, sed animæ quiem possident.* Itaq; etsi aliquid subinde desit ijs, qui suis bonis exuuntur, atq; ideò *inopia laborare, & penuria premi* dicantur, id tamen aliunde compensatur. Mentis quies, & animæ tranquillitas facit, vt quod carni deest, non æstimetur. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum,* ait *homo simplex, & rectus, ac timens Deum.* At tu, ô impatiens, quid clamas? *Pecuniam perdidi! Fortasse te illa perdidisset. Pecuniam perdidi! Sed habuisti. Pecuniam perdidi! Sed habebis inde periculi minus! Pecuniam perdidi! O te felicem, si cum illa auaritiam perdidisti. Sed si manet illa apud te, es tamen vtcunq; felicior, quòd*

In vitis PP. l. 5.

Iob. 1. 21.

tamen

*tanto malo materia subducta est. Perdidi pecuniam! & illa quidem quam multos? eris nunc in via expeditior, domi tutior. Non habebis, sed non timebis heredem. Exoneravit te fortuna, si intelligis, & tutiore loco posuit. Damnum putas? remedium est. Defles, gemis, miserum te clamitas, quòd opibus excussus es? Tuo vitio ista tibi iactura tam tristis est. Non tam molestè ferres, si tamquam perditurus habuisses. Perdidi pecuniam! nempe quam, vt tu haberes, alius antè perdiderat.* Vide Petrarch. l. 2, de remed. vtr. fort. dial. 13.

## §. VI.

### *Quàm bono dolo Macarius diuitem Virginem deceperit, vt gauderet de eo, quod inuita amiserat?*

Quid si vel inuito ademtæ opes prosint, atque is maximè prosit, qui vel maximè videtur nocuisse? *Cùm essem astutus*, inquit Apostolus, *dolo vos cepi*; hoc est, artificiosa solertia, & cauta prudentia vos conuerti. Nam, vt S. Thomas existimat, eo loco, abusiuè in bonam partem accipiuntur. Sic decipi, non est iniuriam pati, sed beneficio affici: ditatque alterum, qui eum dolo bono spoliat. Audi factum felix euentu, forte conatu, quod meritò Helenopolitanus Episcopus

2. Cor. 12. 16.

S. Thom. 2. 2 q. 55. art. 4. ad 1.

Pallad. c. 6. Hist. Lausiac.

pus Palladius memoriæ mandauit. *Erat quædam Alexandriæ virgo solùm nomine, habitu quidem humilis, animi autem instituto parca, gloriosa & insolens, & laborans auaritiâ, auri potiùs, quàm DEI amans: ex rebus suis nulli vmquam exhibens, non hospiti, non pauperi, aut afflicto, non monacho, non virgini, non Ecclesiæ vel obolum vnum. Ea multis sanctorum Patrum admonitionibus incitata, non repellebat graue pondus diuitiarum. Erat autem ei quoq; genus, ex quo sororis suæ filiam in filiam adoptauerat. Cui noctu & diu sua pollicebatur, cùm ipsa excidisset ab opibus cælestibus. Nam hæc quoque est vna species fraudis diaboli, qui prætextu amoris in cognatos, efficit vt nascatur auaritia. Nam quòd ei nulla cura sit generis, hinc patet. Ipse enim docuit, & fratrem & matrem, & patrem occidere. Idq; est exscripturis extra controuersiam. Sed etsi videantur nonnullis curam cognatorum inserere, non hoc facit quòd illis bene velit, sed vt eorum, qui ei parent, animam apertè exerceat ad iniustitiam, cùm ipse sciat latam sententiam, quæ dicit: Iniusti regnum DEI non possidebunt, &c. Huic virgini, quæ solo nomine sibi parauerat appellationem, moribus autem erat aliena ab exercitatione, cùm venam, vt dicitur, vellet incidere ad le-*

ad leuandam auaritiam, sanctissimus Macarius presbyter & Prafectus Ptochotrophij eorum, qui sunt corpore mutilati, talem astum excogitat. Erat enim is à iuuentute lapidarius. Ad eam autem accedens, dicit: in me inciderunt pulchra gemma, smaragdi & hyacinthi; nec scio, an sint furtiui, an alicuius mercatoris, non constituitur enim eis pretium, cùm æstimationem superent: qui habet autem, vendit eas quingentis nummis. Si ergo tibi visum fuerit, eas accipere, da quingentos nummos; potes ex vnâ gemmâ accipere quingentos, reliquis autem vti ad variandum mundum filia tua sororis. Cùm autem, qua dicebatur virgo, tota penderet a puellâ, inescatur eius ornanda cupiditate: & procidit ad eius pedes, & dixit: Rogo te, ne quis alius eas accipiat. Eam ergo adhortatur sanctus, dicens: Veni vsque ad domum meam, & eas aspice. Illa autem noluit; sed ei præbet quingentos denarios, dicens: Rogo te, ipse eas, vt vis, cape. Nolo enim videre hominem qui eas vendit. Cùm autem quingentos denarios ab eâ accepisset sanctus Macarius, dat eas ad vsum Ptochotrophy. Cùm autem multum tempus præterijsset, quoniam existimabatur Alexandria senex vir esse summè pius ac misericors, vixit autem ad centum vsq; an-

nos, cuius tempore nos quoq; fuimus, verebatur eum admonere. Tandem cùm eum inuenisset in Ecclesia, dicit ei: Rogo te, quid jubes de lapidibus, pro quibus dedimus nummos quingentos? ille ei respondit, dicens: à quò die mihi dedisti aurum, eos impendi in pretium gemmarum, & si velis eas videre, veni in hospitium. Illic enim sita sunt gemmæ, & vide: quòd si tibi non placeant, tolle aurum tuum. Venit autem illa lubentissimè. Habebat autem Ptochotrophium in superiori quidem parte mulieres, in inferiori autem viros. Cùm ea autem accessisset, introducit eam in vestibulum, & dicit ei sanctus Macarius: Quid vis primùm videre, hyacinthos an smaragdos? Ea verò illi dicit: Quod tibi videtur. Ille verò eam ducit in partem superiorem, & ostendit ei mulieres mancas ac mutilas, & orbatas oculis, & dicit ei: Ecce hyacinthi. Deinde deducit eam in partem inferiorem, & ostendit ei viros, dicens: Ecce smaragdi; & existimo, non inueniri his pretiosiores: quòd si tibi non placeant, accipe aurum tuum. His ergo sic gestis, pudore affecta virgo exiit, & domum reuersa magnum accepit dolorem, quòd hanc rem ex DEO non fecisset, sed adducta necessitate. Postea autem gratias egit presbytero, cùm puella, cuius curam gerebat, post nuptias mortua

tua esset, sine liberis, ipsaq; deinceps vitam suam rectè instituit.

## §. VII.

### Macarij, & Ioannis Eleemosynarij, in pauperibus iuuandis, quo modo imitandum sit exemplum?

Multis sanguinis copia laborantibus, prodest venam secari. Auaris pecuniam auferre, est sanguinem mittere. Quo pacto misit huic mulieri Macarius; quæ vitam numquam rectè instituisset, tot nummis onerata. Nemo tamen hinc erroris debet sumere occasionem. Nec enim fures, aut prædones excusabuntur, si, dum clepunt, aut rapiunt pecunias, dicunt se auaris sanguinem mittere, alioquin & carnifex, cùm eos cultro suo subiecerit, dicet se illis sanguinem missurum. Alia, & sancta arte Macarius fœminæ isti nummos abstulit, eos redditurus, nisi tandem vel lubens consensisset. Vt autem consentiret, videtur illa ipsa pecunia impetrasse, quam pro eius animæ salute Macarius in egenos erogauit. Vtinam Macarius haberet multos imitatores, qui pecuniam pretiosis vestibus, sumtuosis spectaculis, Antonianis conuiuijs, aut alij vanitati destinatam, in pauperes,

dolo bono, transferrent. Quàm multi parentes vtiliùs vestirent nudos, quàm toc pellibus pretiosis inuoluerent suos Ascanios? aut Iulos? Grauantur in aulis parietes aureis belluatis tapetibus, & milites in campo frigore pereunt. Quantum, ô mariti, in coniugum vestrarum syrmata impenditis? quantum, ô vxores, in virorum vestrorum compotationes? suadete illis, vt tantum in inopes expendant. Non erit hoc pecunias amittere, sed fœnori dare. Difficile est hoc? Deum amanti nihil difficile est. Cur hîc ambigitis, quæ potestis aliud quidquam coniugibus vestris suadere? immò etiam malis fraudibus persuadere? Ioannis Eleemosynarij Archiepiscopi Alexandrini exemplum vobis proponite, qui quàm primum Pontifex factus est, accersitis ad se Ecclesiæ dispensatoribus, ijsque quos à secreto consilio habebat, dixit: *Non est iustum, ô fratres, & in ministerio socij, vllius alterius rei curam gerere priùs, quàm Christi. Euntes itaque per totam ciuitatem, singulatim describite meos* DOMINOS. Hæserunt illi, quid vellet, & interrogarunt, quinam essent Patriarchæ DOMINI? Quibus respondit: *Quos vos pauperes & mendicos soletis appellare, eos ego*

Leont. Episcop. Neapolis in eius vita, apud Sur. 23. Ianuarij.

DOMI-

DOMINOS *meos, & adiutores nomino. Nam ij soli mihi possunt opem ferre, vt à Christi regno non excidam.* Fecerunt, quod iussi erant, & inuenti sunt septies mille quingenti, quorum singulis quotidie jussit dari sumtum diurnum. Post hæc studium conuertit suum ad hoc, vt justis ponderibus & mensuris vterentur, qui vendebant in ciuitate. Vtamini & vos, ô matresfamilias iustis ponderibus, nec vobis ipsis plus in luxum vestium, in torques, in armillas, in gemmas impendite, quàm in membra Christi alenda. Hoc dicite maritis vestris, quod Eleemosynarius dixit ijs, qui res Ecclesiæ dispensabant. Maritos *dominos* vocatis, & illis ipsæ imperatis. Pauperes pro *dominis* vestris habetote, qui possunt vobis opem ferre, non jam vt domi regnetis, sed ne à Christi regno excidatis.

# CAPVT XIII.

## *Quantam DEVS pauperum suorum curam gerat?*

### §. I.

### *Ad DEVM optimum Mundi procuratorem pertinere tam parui, quàm magni Mundi vices.*

SI hæc omnia, quæ declarauimus, nihil essent, illud tamen vel vnicum meritò pauperes animaret, quòd Deum habeant curatorem. Securissimè degunt illi, qui se sciunt, bono ac fideli œconomo suo fidere posse. Quo pacto rex Pharao olim dixit ad Ioseph: *Numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, &c.* Quis melior, fidelior, sapientiorúe est Deo? Numquid consimilem illius inuenire poterimus? Si ergo ille est pauperum curator & procurator; quid potest illis deesse? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* dicebat Apostolus. Fames? sitis? inopia rerum omnium? Nequaquam. Nam Deus his omnibus est potentior. Vel eripiet igitur ex illis miseros, vel faciet eos in illis ipsis felices. *Est homo marci-*

Gen. 41. 39.

Rom. 8. 31.

Eccli. 11. 12.

*marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum,* qui rotam nouit vertere, atque depressa rursus exaltare. Et vel hinc multi pauperem non despiciunt; nam apud se cogitant, volubilem esse fortunæ statum. Quid si enim ille breui sit supra me, quem ego nunc video infra pedes meos iacentem? Numine enim iubente, vt Ausonius ait:

Auson. in Epigram.

*Fortuna numquam sistit in eodem statu,*
*Semper mouetur, variat, & mutat vices;*
*Et summa in imum vertit, ac versa erigit.*

Terram vides? orbis est, vt vel hinc memores simus volubilitatis. Cælum ipsum aspice: quotidie vertitur: & ipsa sidera, quæ interdiu sunt summa, noctu occidunt, fiuntque ima; viciſſim internoctu conspiciuntur superiora, quæ interdiu infra nos voluta sunt. Quemadmodum ergo ordo vniuersi postulat continuam mutationem; ita & Conditor Vniuersi *marcidum & egentẽ recuperatione erigit, & exaltat caput eius;* vt etiam in paruo Mundo hæc rota inueniatur,

Virgil. Eclog. 9.

tur. Quare, si prophani dicunt: *Sors omnia versat*, multò veriùs dici potest: *Deus omnia versat*: aut, vt ipse Deus dicit: *Qui se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Quod, nisi fiat in hac vita, certò eueniet in vita futura, in qua *erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Hanc spem natura pauperibus suggerit, & author naturæ.

Matth. 23. 12.
Matth. 19. 30.

## §. II.

### *Variæ causſæ, ob quas peculiarem pauperum curam gerit DEVS.*

Hinc altera causſa emergit curæ diuinæ. Prima enim erat, quòd ordo vniuersi exigeret hanc vicissitudinem: altera autem est, quòd ita mereantur, qui se humiliant, vel sponte atque vltro; vel si non vltro, saltem patienter. Hinc enim & Deus peculiaremm illorum curam gerit, qui dum suam voluntatem diuinæ accommodant, digni sunt, vt & Deus *faciat voluntatem timentium se.* Volunt enim, vt summus Pater curet, quos, tamquam infimos, nemo curat. Et sanè hinc tertiò res ipsa pauperum causſam agit, apud æquissimum iudicem, vt ijs qui maximè ope indigent, maximè opituletur. Quod eum facere, & scriptura

ptura docet, & quotidiana exempla. Nam ne quis putet, Deum tantùm videre splendidos, *oculi eius in pauperem respiciunt.* Et quia nullam videntur habere opem, qui idcirco vocantur *inopes*, ait idem Propheta: *Tibi derelictus est pauper.* In vitis Patrum, apud Ruffinum Aquileiensem, *Quidam frater requisiuit senem, dicens: Vis vt retineam mihi duos solidos, propter infirmitatem corporis? Et videns senex cogitationes eius, quòd vellet retinere eos, dixit: Retine. Reuersus ergo in cellam frater, cœpit cum cogitationibus proprijs colluctari, dicens: putas bene dixit mihi senex, an non? Exurgens ergo iterum venit ad senem, rogans & dicens: Propter Deum, dic mihi veritatem, quia conturbor à cogitationibus meis, propter illos duos solidos. Dicit illi senex: Quia vidi cogitationem tuam volentem retinere eos, dixi tibi, vt retineres: nam non est bonum tenere plus, quàm necesse est corpori. Duo ergo solidi sunt spes tua; & si contigerit vt pereant, numquid Deus non cogitat de nobis? Iacta ergo cogitationem tuam super Deum, quoniam ipsi cura est de nobis.* Quartò; etsi ad tempus ita sæpe agatur cum tali, vt etiam à Deo desertus videatur, ait tamen Dauid, *non in finem obliuio erit pauperis.* Quintò, licet

Psal. 144. 19.

Psal. 10. 4.

Heribert. Rosvv. lib. 3. in vit. PP. cap. 69. Ruffin. presbyt.

Psal. 9. 34.

cet talis non ipse elegerit pauper esse, si tamen oblatam à Deo paupertatem patienter acceptauit, clarè pronunciatur: *patientia pauperum non peribit*. Sextò, quòd si sint, qui non solùm pauperem derelinquant, sed etiam persequantur: *factus est Dominus refugium pauperi, neq; despexit deprecationẽ pauperis*. Septimò, nullus pauper ad eum frustra refugit, neq; auditur modò à clementissimo patre oratio pauperis, sed etiam exauditur, ille est enim *eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum*, vnde & alibi dicitur. *Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus saluauit eum*. Octauò, ne quis putet, impunè laturos eos, qui insidiantur pauperi, aut eum deglubunt, nec verentur vel nudum spoliare, ecce quid rex testetur: *Cognoui quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum*. Itaque diues *cadet, cùm dominatus fuerit pauperum*. Nonò nec meritis pauperum præmium deerit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*, ait Psalmista; & rursus: *videant pauperes, & lætentur*. Hæc est vera lætitia pauperum; diuitibus autem tristissima quæque diuina pagina comminatur. Igitur

Psal. 9. 19.
Psal. 9. 19.
Psal 9. 10.
Psal. 21. 25.
Psal. 34. 10.
Psal. 33. 7.
Psal. 139. 13.
Psal. 67. 11.
Psal. 68. 33.

ques

quos maximè curat Mundus, minimè curat Deus; & quos despicit Mundus, protegit Deus; & quamuis vtrisque prospiciat sufficienter, pauperibus tamen prospicit etiam abundanter.

## §. III.

### *Exempla diuinæ erga pauperes curæ.*

Ne autem in verbis duntaxat curam, quæ pauperibus est promissa, consistere arbitremur, notum est è sacris libris, non rarò idem esse *verbum* quod *factum*. *Transeamus vsq; Bethlehem*, aiunt pastores, *& videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Certè, quod dicit Deus, facit; & quod promittit, præstat. Itaque primò perspicacissimus ille oculus Mundi, qui omnia videt, vtique etiam videt pauperes; neq; eos spernit, aut indignatur vel in summa maiestatis sede constitutus. *Dominus in templo sancto suo; Dominus in cælo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt. Ad quem respiciam*, ait, *nisi ad pauperculum?* Quod se facere Christus ostendit, quando *sedens contra gazophylacium aspiciebat, quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cùm venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans*

Luc. 2. 15.

Psal. 10. 5.

Isa. 66. 2.

Marc. 12. 41.

*drans, & conuocans discipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.* Nonnè fuit hoc respicere pauperem? Bono animo estote, pauperes, si nemo vos hominum videt, & nemo miratur, aut laudat, quod sanctè facitis, aut cùm in occulto oratis: Deum habetis & testem, & spectatorem. Hic vnus est instar mille, immò supra mille. Res magna est, à Deo videri. Secundò non videt tantùm Deus pauperum inopiam, sed etiam re ipsa opitulatur, idque alios facere

Leuit. 19. 9. jubet: *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsq; ad solum superficiem terræ: nec remanentes spicas colliges. Neq; in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.*

Ibid c. 23. 22. Idem repetit infrà. Exemplum quàm illustre exhibuit in Moabitide Ruth, quam

Ruth. 2. 8. pauperem, sed honestissimi nominis puellam & aluit, per diuitem virum Booz, & deniq; etiam opulentauit? In nouo autem testamento, vt patesceret, etiam in spiritualibus peculiarem eorum haberi rationem,

pau-

*pauperes Euangelizantur*, ait Seruator; ne superba opulentia putet, Redemtoré tantùm diuitum ac magnatum caussâ veniſſe. Tertiò; res ipsa mouet miſericordem patrẽ. Si enim vel terrenus pater è duobus filijs vnum in bene inſtructa naui ludentẽ videat, alterũ inter vndas ac vortices luctantẽ, cui citiùs ſuccurret? Ita Deus vtiq; citiùs opem afferet ope indigenti, cuius ipsa miſeria mouet miſericordem. Si enim Iob aiebat: *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi*; quantò magis putandum eſt, flecti & affici eum miſericordia, qui afflictionem atque inopiam longè habet cognitiorem? & *cuius miſericordia* eſt, *ſuper omnia opera eius*, quæ tamen ſunt magna, & mirabilia nimis? Quocirca eam olim legem tulit: *Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris.*

Iob. 30. 25.

Deuter. 15. 7.

## §. IV.

### *Cur DEVS quoſdam pauperes non ſtatim juuet?*

Quartò

Quartò etsi subinde differt Deus quò-
dam, vt incommoda sentiant paupertatis,
Psal. 9. 19. & quasi eorum obliuisci videtur, tamen *non*
*in finem est obliuio pauperis*. Hac spe consolans
Tob. 4. 23. filium suum Tobias ait: *Noli timere, fili mi,*
ait, *pauperem quidem vitam gerimus, sed mul-*
*ta bona habebimus, si timuerimus Deum, & re-*
*cesserimus ab omni peccato, & fecerimus bo-*
*nè*. Vt prædixit, ita euenit, vel Raphaele
Archangelo cælitus misso, qui eum ad for-
tunas suas perduceret. Quin Christus quo-
que turbam triduo toto distulit, donec eam
Marc. 8. 1. prodigiosè pasceret. *Cùm turba multa esset,*
*nec haberent, quod manducarent, convocatis*
*discipulis, ait illis: Misereor super turbam:*
*quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent,*
*quod manducent: si dimisero eos ieiunos in do-*
*mum suam, deficient in via: quidam enim ex*
*eis de longè venerunt*. Distulit, vt fames &
fama crescceret, miraculumque tantò maius
esset, quantò illi magis esurirent. Quintò
voluit eosdem ita curare atque satiare Do-
minus, vt etiam patientiam eorum proba-
ret. Ob quam caussam multos diu, plurimos etiam vsque ad vitæ finem relinquit in
Isa. 48. 10. egestate. Tunc enim dicet: *Ecce excoxite,*
*sed non quasi argentum, elegi te in camino pau-*
*pertatis.*

*pertatis.* Si enim excoxissem te, quasi argentarius in fornace ardentissima excoquit argentum, separatque ab eo, per ignem, stannum, plumbum, scoriam, vt purum putumq; remaneat, & impermixtum, vtiq; consumpsissem te, cùm non sis, nisi peccatorum scoria, iuxta illud: *argentum tuum versum est in scoriam;* itaque leniori te camino purgaui, seruitute scilicet & ærumnis Babylonis. Multi enim non sunt tam fortes, vt possint martyria sustinere; neque tam patientes, vt possint graues diuturnosúe tolerare morbos; quare mores eorum in camino paupertatis corriguntur. Quod dum facit Deus, nonne pauperes quasi negligendo curat? quia curat eos ipsâ paupertate, sicut medicus ægrotum diæta. Alios, qui non ægrotant, in hoc camino paupertatis, tamquam aurum in fornace, reddit splendidiores, vt Iobo contigit, qui omnibus amissis longè clariùs enituit, atque etiam in hac vita *addidit Dominus omnia, quæcumq; fuerant Iob, duplicia.* *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.*

Isa. 1. 22.

Iob. 42. 10.

Psal. 9. 19.

S. V.

## §. V.

### *Deus suo tempore & pauperibus, & pauperum patronis succurrit.*

Iob. 29.11. Sextò dicebat olim Iob: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor.* Quantò magis Deus est beatificandus, cui testimonium reddunt tot millia pauperum vociferantium, se ab illo liberatos? Audit autem etiam non vociferantes: nàm & silentium clamat miserorum. Abdias dispensator Achabi regis Israëlitarum, cùm centum prophetas in spelunca absconditos pane & aqua sustentasset, vt Iosephus refert, magnum æs alienũ contraxit. Eo mortuo creditor quos natos eius in seruitutem rapere volebat, cùm vidua non esset soluendo. Illa Eliséum prophetam adijt, opemq; eius implorauit. Cui ille præcepit, vt ex olei ampulla, quæ domi vnica superat, vasa à vicinis mutuò accepta impleret: diuinitus enim oleum non defecturum, donec omnia implerentur. Paruit illa, & iussu Eliséi postea vasa illa vendidit, & debitum dissoluit. In qua historia Prophetæ non vociferantes à Deo auditi, & vel in spelunca latentes conspe-

Ioseph. lib. 9. c. 3. Antiquit. 4. Reg. 4.

conſpecti, atque per Abdiam nutriti ſunt. Cui eam liberalitatem non eſſe damnoſam paſſus eſt diuinus Remunerator, ſed in vidua, ac liberis, per Eliſéum prodigioſiſſimo olei augmento, gratiam pro gratia repoſuit. Animalia ratione carentia, in extremo periculo conſtituta, cùm aliud non habent, quo ſe protegant, clamorem habent, miſeriamque ſuam teſtantur vociferando: ita & homines extrema afflictione compelluntur ad Deum clamare. Nec in ventos abit clamor: *Clamor filiorum Iſraël venit ad me* ait. quia pauperum oppreſſio eſt peccatum in cælum clamans, etiam ipſo oppreſſo ſilente. Quia ipſa calamitas clamat, tacente calamitoſo. Exod. 3. 9.

## §. VI.

### *Recens, & luculentum diuinæ prouidentiæ & curæ erga pauperes exemplum.*

Septimò non audit tantùm, ſed etiam exaudit pauperes, verus Pater pauperum, Deus, qui *ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.* Quàm hoc verum ſit, oſtendit mirabilis prouidentia diuina, in hiſtoria, quam nobilis quidam Germanus, Anno Chriſti 1627. Româ huc, ad nos, in hunc fere modum perIob 5. 15.

scripsit, meritò posteris non obliuiscendam. Contigit aliquid quatuor ferè ab hinc mensibus non mirabile minùs, quàm iucundum in Vrbe. Nam à tristibus initijs, in lætum finem desinebat. Est hîc par coniugum, quibus, annonæ caritate ad summam inopiam redactis, fame pereundum fuisset, nisi, per æs alienum, cum morte inducias fecissent. Nam, cùm etiam, quod mutuò acceperant, absumsissent, redijt fames, quam insuperabilem alienũ fecerat grauiorem. Sed inprimis creditor longè fuit grauissimus. Is enim, constituto debiti soluendi die, importunus aderat, sibique, sine vlla mora, satisfieri volebat. Nihil illum extrema inopia, nihil pallidi vultus, nihil preces mouerunt miserorum. Prospiciebat enim, egestate semper magis ac magis crescente, supellectilem quoque, & cum ea spem solutionis obtinendæ, abituram. Traxit igitur maritum in ius, & (non secus, ac si lege repetundarum teneretur) accusat. Fert sententiam iudex: reus carceri mancipatur. Et iste quidem in vinculis famebat: vxor autem dolebat tantò magis, quòd & inopiam, & inediam sustinens, marito viuo, viduam agere cogeretur. His malis afflicta nihil prius habuit,

quàm

quàm vt vndiq; circumcurſaret, quæreretque nouum creditorem, à quo mutuâ pecuniâ acceptâ maritum redimeret. Et erat exigua pecuniæ ſumma, de qua agebatur, vix duorum ſcilicet aureorum. Dum circumiuit, neſcio cui mala fide ambulanti nebuloni innotuit. Is eam è veſtigio clanculum ſectatus obſeruauit; & quòd fortè intellexerat, virum illius in cuſtodiam datum, eo abſente, ad ædes afflictæ acceſſit. Vtque minùs metueret, nox fecerat audentiorem, atque in primis ipſa domunculæ ſolitudo. Adit ergo; pultat fores: nemine audito etiam quatit. Vicit importunitas, vt tandem ſurgeret mulier, verita ne poſtes effringerentur. Quærit de feneſtra, quid hominis adſit? aut quid ſibi velit, id noctis? Reſpondet, aditum ſe petere, & pro imperio proteruè iubet eam citò peſſulum reducere, laresque referare. Cui mulier, ſolam ſe domi eſſe, ait, haud decere, vt hominem ignotum ad ædes, in tenebris, admittat. Si quid negotij neceſſarij habeat, craſtina luce, peragi poſſe, poſtquam clara dies remouerit cauſſam ſuſpicandi. Inſtat ille: perſtat illa. Sed non diu. Poſtquam enim homo atrociſſimis minis edixit, ni actutum aperi-

ret, se illam & domum pariter, cum tectis & fundamentis exusturum: neque expectaturum, donec sol incipiat collucere; sed incendio diem facturum. Quid faceret femina, inops, sola, tantis minis perterrita? Virilem animum vicisset periculi magnitudo. Fores trepida recludit, hominemque nefarium ad se intromittit, saltem domum conseruatura, si vitam non possit. Patefactâ ianuâ, velut rabidus canis illam inuadit impurus, vitiumque continuò offert. Sed qui Helenam sperauit, Penelopem, immò Lucretiam reperit. Non enim ille tam importunus fuit in flagitio petendo, quàm illa fortis in recusando. Adeò vehementer restitit, vt vitam se priùs, quàm pudicitiam profiteretur perdituram. Et vicit adulterũ casta, sed prædonem non superauit. Nam ille à crimine vno ad alterum conuersus, mandauit, vt quidquid domi pecuniarum, vestium, vasorum haberet, apportaret: ni faciat, verbera, mortem, flammas tectis subijciendas intentat. O misera mulier quid hîc ages? teruncium domi nullum habebat, præter duos nummos aureos, quos ea ipsa die elapsa, redimendo marito mutuò acceperat. Hos Lauernioni dare, durum erat; negare,

negare, periculosum. Sed prævaluit metus. Fatetur, adesse nummos, eosque accensa lucerna promit, sperans his se cetera omnia redimere posse. At longè secus fuit. Vt tigris, gustato sanguine, magis sæuit; ita auarus, viso auro magis sitit aurum. Existimans ergo crudelis homo, plus auri ab ea conditum latere, consilium capit illius necandæ, vt ea occisa, omnes latebras excutere possit. Quoniam igitur consultissimum videbatur, eam laqueo strangulare, & voci viam intercludere, ne clamans audiretur, laqueum ab ea petijt. Respondit, illa, nullum in tota domo esse, nisi quo asinus in stabulo religaretur, & clementiùs, quàm igne, moritura, ipsa carnifici suo viam ad propriam perniciem monstrat. Ventum est ad stabulum, ibi dum sicarius funem implicatiore nodo impeditum resoluit, videt femina clauam ligneam, tundendo asino parieti acclinatam, subitque mentem cogitatio: Quid si necem meam anteuertam, & homini, quod mihi parat; exitium priùs offeram? Fas est, vim vi defendere: &, si mihi non credatur, præstat perire publica authoritate, quàm crudelitate priuata. Nec plura deliberans, impetu quodam naturæ

clauam arripit, nocturnumque latronem fune detrahendo occupatum, à tergo adoritur, atq; vnico ictu in terram prosternit: altero deinde fulmine superaddito exanimat: cadauer extra domum tractum eliminatumque in proxima via abijcit: reliquum noctis dat quieti. Quamquam inquieta illi ea quies fuit. Facilè enim habuit cogitare, primam cædis suspicionem ad se iri deriuatum. Vix orta luce surgit, creditorē adit, dispunctoque duorum aureorum debito, maritum carcere liberat. Quam lætitiam illico noua tristandi causſa interturbauit. Nam dum domum suam repetunt, occurrunt alij super alios, qui ad visendum cadauer confluxerant, nunciantque cædem factam, hominem trucidatum iacere in via, sanguinis è gemina capitis plaga manantis vestigia ad ipsorū lares tendere, monstrareque, haud dubiè, vbi homicidium illud sit perpetratū. Fatetur vxor marito, se funeris istius esse authorem. Ibi nouus metus, nouus luctus hominem occupat, sed mox in gaudiū transiturus. Nam dum vndique ad cadauer spectandum concurritur, adfuerunt etiam, qui, vultum occisi curiosiùs contemplantes, deprehenderunt manifestis signis, illum ipsum

ipsum fuisse famosissimũ latronem, in cuius proscripti caput, centum aurei à magistratu erant promissi. Defertur res ad Vrbis Gubernatorem, inquiritur in mulierem cædis patratricem. decernitur, illam centum aureos meruisse; qui proinde illi etiam numerati sunt. Iis & debito se exsoluit; & quod supererat, ad vitæ necessaria impendit. Quàm verè Deus est, qui *saluum facit egenum à gladio, & de manu violenti pauperem?* Iob. 5. 15. Quàm mirabiliter *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit?* 1. Reg. 2. 6. Nolite confidentiam amittere, ô pauperes, Deus vos de cælo aspicit; Deus necessitatem vestram probè agnoscit; Deus permittit, qui vobis insidientur: sed fortasse, per illos ipsos succurret, qui vobis imminent deuorandis, sæpe enim operatur *salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Luc. 1. 71.

## §. VII.

### *Immisericordis, erga pauperem, vsurarij pœna.*

Octauò igitur, quamuis *Deus potentes non abijcit, cùm & ipse sit potens,* tamen *non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit,* neque eos sinit abire impunitos, quibus dici potest: *in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum.* Iob. 36. 6. Ierem. 2. 34.

Psal. 13. 3. *perum, & innocentum.* Sunt enim *veloces pedes eorum,* & in modum Mercurij, ob talaria, alati, *ad effundendum sanguinem,* quorum manus ad dandum veloces esse debuissent. Sentiunt itaq; meritò manum Dei punientis, & curam pauperum singularem habentis. Qua de causa ita præscripsit populo suo. *Aduenam non contristabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si lædentes eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Quas Dei minas non esse inefficaces ostendit tertiæ viduæ exemplũ. Memorat Paulus Diaconus, viduam fuisse, quæ paupertate pressa mutuam ab vsurario pecuniam acceperat, sed magno suo malo, neque enim desistebat ille vsuram identidem exposcere; quin & duplum exigere eius pecuniæ, quam dedisset. Nullum erat defertæ vspiam refugium, nisi ad S. Iuuentium Episcopum, singularem pauperum, viduarum, ac pupillorũ patronum. Is post-

Exod. 22. 21.

Paul. Diacon in vita S. Iuuentij Episc. c. 14. & Sur. 14. Septemb.

quam

quam & viduæ calamitatem, & iniusti exactoris importunitatem cognouit, Diaconũ suum Exuperantium cum eadem vidua, misit ad creditorem, addito hoc mandato: *Vade ad eum, qui hanc viduã crudeli exactione opprimit: admone eum vice meæ postulationis, dicens: Pater tuus rogat, sufficiat tibi, quod tuum est, nec exigas, quod minimè dedisti, ne id, quod habere videris, amittas. Si autem te audire noluerit, ecce do tibi summam pretij, porrige ei, & reuertere.* Paruit Diaconus, hominemque auarum, vidua comitante, conuenit, nihilque eorum, quæ mandata erant, omisit. Lapidem citiùs mollijsset, quàm iniquum hominem. Sed exiguo lucro fœnus accepit. Eodem enim temporis momento, quo aurum ab Episcopo missum contigit atque in manus sumsit, humi collapsus, miserrimè expirauit. Duo hîc expendi possunt, ira Dei, & cura Dei; cura pauperum & viduarum, ira in fœneratores. Tametsi enim licitum est, vrgente necessitate accipere mutuum à fœneratore, non tamen licitũ est istis, cum spe fœnoris mutuum dare. Illos necessitas excusat, non item istos. *Audent fœneratores dicere:* ait S. Augustinus: *Non habeo aliud, unde viuam. Hoc mihi &* S. Augustin. in Psal. 128.

*latro diceret deprehensus circa parietem alieni; hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent, unde vinerent, quia inde se pascerent: quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam transigant, & inde se pascere volunt, unde offendant eum, à quo omnes pascuntur.*

## §. VIII.

*Ludouico Imperatore, erga pauperes, longè liberalior Deus centuplum reddens.*

Ado Chron. ætt. 6. An. 815.

Nonò, quod Ado testatur, de Ludouico Imperatore Caroli Imperatoris filio, planè Deo maiore iure tribuitur. Ludouicus, annis circiter viginti octo, quibus imperium gessit, non solùm fuit eximius amator castitatis, promotor religionis, fautorq; Ecclesiasticorum; verùm etiam, in Gallia, Germania, Italia totoq; Imperio suo, legatos constituit, qui pauperum & oppressorum curam gererent, eorum causas audirent, ijsque iustitiam administrarent, atq; in omni necessitate succurrerent, Deus, non annis 28. duntaxat, sed à condito orbe, Angelos pauperũ tutelares constituit, quin

& cauſſam eorum ipſe ſuſcepit, ſuſcipit, ſuſcipiet. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & haredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* ait S. Iacobus. Iac. 2. 5. Ipſe Chriſtus dixit: *cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos.* Luc. 14. 13. Ac rurſus, cùm à cœna magna diuites, ob villam emtam, & ob emta quinque iuga boum, atque ob vxorem ductam ſe ſe excuſarent, Ibid. *iratus paterfamilias dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Cœna magna, erit cœna Agni, non nectare & ambroſia, ſed genimine vitis nobilioris pretioſa, in qua, vbi accumbant hi pauperes, oſtendit Lazarus in ipſo ſinu Abrahæ, ſicut & D. Ioannes in ſinu Chriſti requieſcens. Luc. 16. 23. Cuius rei figura fuit Iſaac, qui *ſeuit*, non in agro proprio, ſed à Geraritis conducto; neque enim Abraham, neque Iſaac, neque Iacob, poſſederunt agros, aut domos in Chanaan, ſed identidem in ea peregrinati ſunt. *Seuit* itaque *Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum, benedixitq; ei Dominus.* Quare hæc tanta meſſis, non per ſationem, nec per agrorum fertilitatem, ſed Dei beneficio, & per miraculum Iſaaco obtigit, Gen. 26. 12.

vt

Plin. lib. 18. cap. 11. vt ex vno modio à se seminato, centum modios metereț. Quamquam Plinius fertilissimum triticum *centigranum* appellet, vnde & Isaaci prouentum naturalem esse potuisse, non tamen fuisse ostenditur, scriptura eam vbertatem benedictioni diuinæ ascribente. Hac autem benedictione tam copiosa indicatum est, tam vberem terram esse pauperratem, in qua qui serit, centuplũ recipit, ex Christi oraculo: *omnis qui reliquerit domum, vel fratres &c: aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quò alludens ait Hieronymus: *Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur; in tali Isaac quondam agro seuerat.* Hac fertilitate carent diuites, gaudent pauperes. Quibus proinde rectè S. Gregorius Nazianzenus gratulatur hac acclamatione:

Matth. 19. 29.

S. Hieronym. ep. 126.

S. Greg. Nazianz. in carm.

*Felix qui Christum fortunis omnibus emit.*

Et D. Augustinus: *Quid est gloriosius homini, quàm sua vendere, & Christum emere?* Quid vtilius, quàm omnibus rebus exui, vt eum habeamus, in quo sunt omnes thesauri? Quid securius, quàm à mundo non curari, vt curemur à Deo? Mundus respicere inopes non dignatur, Deus dignatur,

S. Augustin. serm. vlt. de diuers.

Domi-

*Dominus in cælo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt.* Idcirco alibi dictum est: *Tibi derelictus est pauper*, quem alij negligunt, quem despiciunt, *Tibi derelictus pauper.* Psal. 30. 5. Psal. 9. 35.

§. IX.

*Matre infantem suum curante magis solicitus Deus erga pauperes.*

Quemadmodum infans à natura destitutus, nudus, neque surgere, neque se vestire, aut contra frigus tegere, neque cibum manibus capere, immò neque ea, quæ sibi necessaria sunt verbis postulare valens, à matre curatur. Hanc amor impellit, vt viribus carentem è lecto leuet, vestiat, inuoluat, portet, sinu excipiat, admotis papillis nutriat, ciboque præmanso in os inserto sopiat, in cunis circumagat, cantando ad somnum alliciat; plorantem mulceat, ridenti arrideat, denique noctes diesque laboret, ne quid desit indigenti. Ita Deus pauperes & inopes, & se ipsos iuuare non valentes amat, fouet, educat & educit ad æternam vitam. Immò longè magis. Quia mater sæpe per ignorantiam, sæpe per negligentiam, sæpe per virium defectum infanti succurrere non potest. Deus autem, cuius sapientia falli nequit, cuius bonitas termi-

num nescit; cuius potentiæ non est finis; nihil ignorat, nihil negligit, nihil non potest. Quare magis vult, magis valet, magis curat, quàm mater. *Numquid obliuiſci poteſt* Isa. 49. 15. *mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Quæ cùm ita sint, prodest vtique hominibus sua paupertas, per eam, dum eos negligere Deus videtur, maximè curat, quia maximè amat. Quamobrem rectè possunt illud Themistoclis vsurpare: *Periremus, niſi periiſſemus.* Multis etenim perire est salutare; hoc est, multis perdere opes, perdere domos, perdere pecunias, perdere vitæ necessaria, est occasio, vt Deum inuocent: qui inuocatus est, & succurrit. Itaq; malè perierant, nisi bene à Deo perditi bene perijssent. Quod ita esse, pauperes vel in Martyribus possunt cognoscere; nam & illi sic bene perierunt in hoc sæculo, ne perirent in futuro. Plura qui vult legere de hac cura Dei erga pauperes, tomum nostrum primum adeat, de Iudicijs Dei, quæ in hoc mundo exercet.

Tom. 1. de judicijs, quæ Deus in hoc Mundo exercet. c. 4. §. 5.

## §. X.

### §. *Stephanus Hungarorum rex, quantus in amandis pauperibus, fuerit Dei imitator?*

Ne

Ne autem ipse solus curet pauperes Deus, vult etiã in hac cura homines suos esse imitatores, quorum plurimi extiterunt. S. Stephanus primus Hungarorum rex menti suæ altissimè impresserat illa Christi dicta: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur: date & dabitur vobis;* quare tanto affectu pauperes, & in illis Christum amplectebatur, vt nullum vmquam hospitem, aut peregrinũ absq; aliquo solatio à se discedere pateretur, & in egenos quotidianas expensas fieri iuberet. Nocturno tempore, eleemosynas non solùm in sinu pauperum abscondebat; verùm etiam, Christi exemplo sese demittebat ad eorum pedes abluendos. Accidit, vt quadam nocte, nemine sciente, solus pauperes inuiseret, qui viso marsupio ita pecuniæ inhiarunt, vt certatim in eum inuolantes barbam ei euellerent. Ille nulla indignatione motus, immo gaudio perfusus, humique prostratus his verbis exclamauit: *Regina cælestis, & mea, en quem tu regem constituisti, eum sic honorarunt milites tui. Quæ si mihi ab aliquo hoste illata essent iniuria, tuo fretus adiutorio, non sinerem eam inultus abire. At nunc sciens hinc mihi parari æternam felicitatem, impense lætor, & gratias agens*

Sur. 20. Augusti.

Matth. 5. Luc. 6.

Luc. 21. *agens, illis piißimi Saluatoris conſolatorijs vtebis, quibus diſcipulos ſuos confirmauit: Capillus, inquiens, de capite veſtro non peribit.* Dixit, & incredibilem quamdã animo perſenſit dulcedinem, ſtatuitque numquam pauperi vllo pectoris ſui oſtia claudere. Quam liberalitatem in clericos præcipuè ac Religioſos exercuit. Quorum vni Gunthero dicto, tantam poteſtatẽ conceſſit, vt *quoties ſuaſu. ſentia eius aulam illuſtraret, curam regni ei de. mandaret. Tum ille rebus, quas in aula inue. niſſet, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia & Eccleſias erogatis, breui illam exina. niebat.*

## §. XI.

### *Ethelouoldi, VVilhelmi, Germani, ſanctiſſimorum Epiſcoporum erga pauperes cura.*

Seuer. Sulpit. cap. 2. de vit. S. Martin. Quid igitur? num & regnum fuit depauperatum? nequaquam. Sed dum rex pauperum; Deus regis & regni curam geſſit. Tanti autem curam hanc fecerunt Sancti, vt etiam ſibimet ipſis cibum, etiam veſtes detraherent, egentibuſque largirentur. Palam eſt, quid Martinus adhuc catechume. nus fecerit. Ethelouoldus Wintonienſis Epiſcopus, neque Eccleſiæ ornamentis pepercit. *Accidit, vt quandoq; acerba fames vni-*

Sur. 1. Aug *uerſam*

*uersam Britanniam vehementer opprimeret, & multi præ nimia inopia dira clade extinguerentur. Tum ille pecuniam suam omnem in pauperes elargitus est. Deficiente pecunia tolli iussit ornamenta quæque, & permulta vasa argentea ex Ecclesiæ thesauris confringi. Iis in pecunias redactis, cum multo cordis gemitu testabatur, se æquo animo ferre non posse, muta metalla durare integra, hominem verò ad imaginem DEI factum, pretioso Christi sanguine redemtum, mendicitate, & inedia confici. Sustentauit itaque innumeram pauperum multitudinem; qui periculum famis euadere cupientes, ad eum vndiq; confugiebant. Illos ipse in plateis, omni solatio destitutos refocillabat, singulis necessaria præbens: donec misericordia Dei de cælo in terram prospiciens, & humano generi solita benignitate subueniens malum inopiæ temperaret.*

Godefridus Caluus in eius vita 29. Iulij

Inseminauit hanc curam mundi Moderator etiam S. Wilhelmo Episcopo Briocensi, qui sua manu voluit stipem pauperibus distribuere, quacumq; ibat; & cùm statutæ eleemosynæ darentur, ipse semper coram voluit esse, ne quisquã præteriretur. Tempore famis, & sua, & aliena horrea euacuauit. Deniq; rebus suis omnibus in egenos distributis, nihil superfuit, vnde conderet testa-

mentum. Maluit enim sua viuus bene collocare, quàm, post mortem, incertæ aliorum fidei committere dispertienda. Constantius presbyter refert de S. Germano Episcopo Antisiodorensi, eum obuijs mendicantibus, ex diacono suo interrogasse, quantum secum nummorum haberet? cumque intellexisset, tantùm tres aureos præsto esse, omnes iussisse in pauperes liberali sparsione effundi. Ibi diaconus futuri prouidus, *vnde ergo*, inquiebat, nos *hodie victuri sumus?* cui Germanus respondit: *Pascet Deus pauperes suos, tu, quod habes, præsta pauperibus.* Diaconus malè sollicitus, nec bene obediens, duos erogat, vnum reseruat. In itinere à Leporio prædiuite domino vehementer ægroto, per cursores inuitatur, misso ducentorum solidorum munere. Quo oblato, ad diaconum conuersus Episcopus: *Accipe*, ait, *quæ traduntur, & intellige te fraudem fecisse pauperibus. Nam si totum, quod dedi, indigentibus contulisses, remunerator noster trecentos hodie reddidisset. Contremuit diaconus, secretum reatus sui innotuisse pontifici.* In qua historia apparet, quantam Deus habeat curam eorum, qui pauperum curam gerunt; quibus & promissum *centuplum* reddit. Non

Constan. lib. 2. de vit. S German. c. 11. Sur. 31. Iulij.

Matth. 19. 29.

solum

solùm igitur in pauperes iniurij sunt, qui iussas eleemosynas vel interuertunt, vel diminuunt; sed etiam in proprios dominos noxij. Nam pauperibus simplum, domino centuplum subducunt. O cæca parcitas, quæ nescis seruare pecunias, nisi in proprium damnum!

## §. XII.

### *Ex veteri, & nouo testamento exempla feminarum Eliséum, Christum, & Apostolos curantium.*

Mulierum quoque eximia hîc laus est; nam per illas misericors Dominus sæpe egenis præsenti manu adfuit, docuitque diuitias ab illis, non in ornatum capitis, non in armillas & torques, non vestes exoticas, & Phrygia acu elaboratas, sed in egentes atque misericordiæ opera impendendas. Talis erat illa, de qua scriptura ita loquitur: *Transibat Eliséus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panem: cumq; frequenter inde transiret, diuertebat ad eam, vt comederet panem. Quæ dixit ad virum suum: Animaduerto, quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, &* 4. Reg. 4. 8.

*candelabrum, vt cùm venerit ad nos, manet ibi.* Neque gratis id fecit, pro gratia, gratiam sensit, & quæ sterilis erat, filium acquisiuit. Quàm multæ eiuscemodi opulentæ Iunones prolem optarent, sed pauperes non curant; Elisæos, Prophetas, Religiosos in domum non admittunt. Quare vnà cum illis diuinam excludunt benedictionē. Aliæ feminæ etiam foras eunt, vt pauperibus seruiant. Quales fuerunt illæ, de quibus Lucas hæc memorat: *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo; & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Consuetudinis Iudaicæ fuit, ait S. Hieronymus, *nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum atq; vestitum præceptoribus darent.* Sed hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiecisse commemorat. *Ministrabant autem hæ mulieres Domino de substantia sua, non quòd indigeret cibis Dominus creaturarum,*

Luc. 8. 2.

S. Hieronym. in cap. 27. Matth.

sed

*sed vt typum ostenderet magistrorum, quòd victu atq; vestitu de discipulis debeant esse contenti.* Hæc D. Hieronymus. Eamdem causſam indicat Theophylactus his verbis: *Diuites fœminæ comitabantur Apostolos, vt suppeditarent eis necessaria, omnem illis securitatem horum causſa parantes,* vt soli Euangelij prædicationi ipsi vacarent. D. Ambrosius autem etiam aliam causſam adducens ait: *Scilicet mulieres opulentæ desiderio doctrinæ Dominicæ, & virtutum, sequebantur Apostolos, & ministrabant eis & sumtus, & seruitia, sicut & Saluatorem sunt secutæ.* Quid multis opus? Ipse Apostolus ait: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?* Habuit sanè Paulus potestatem, sed noluit ea vti, ne Gentiles offenderet. Ceterùm planè non exiguum opus erat harum matronarum, quæ diuinæ sapientiæ audiendæ, & pauperes Apostolos pascendi causſa tanta itinera, & tot incommoda susceperunt. Nunc multæ, ne dignantur ad planteas vsque descendere, vt Christum in pauperibus suis pascant.

Theophil. in 1 Cor. 9. 5.

S. Ambr. in eamd. ep.

1. Cor. 9. 5.

## §. XIII.

### *Alia noui Testamenti pauperes curantium exempla.*

Quamquam sanè multæ fuerunt præclaræ, quæ id factitarunt. Quis regiam illam mentem Elisabethæ nescit, quanta fuerit amatrix & nutrix egenorum? quis Redigundas non nouit miraculis, ob pauperes adiutos, illustratas? S. Birgitta vidua multis reuelationibus nobilitata, *infirmorum, morbidorum, & pauperum, felix & inclyta mater eleemosynas largissimas præstabat. Habebat autem magnas ades pauperibus deputatas & ingentes feminas, quæ illorum ministerio semper occuparentur. Sed & ipsa cum multa humilitate non rarò illis inseruiebat, lauans, & osculans pedes eorum.* S. Anatolia Diodori filium cùm à malo dæmone liberasset, adijt eam Diodorus cum vxore, obtulitque ingentem vim pecuniarum. *Sed S. Anatolia nihil penitus accipiens, dixit: Vade, & egenis Christianis, atq; inopibus eroga: tu verò crede in Christum, vnà cum tuis, & liberaberis.* Nimirum opes Anatolia à se in pauperes, quemadmodum alij labores solent, deriuauit. Numquam ad finem, in hoc genere argumenti, decurret oratio, si omnia velim attingere exempla.

Surius 23. Iulij.

Sur. 9. Iulij.

Nullus

Nullus sanctus, nulla sancta fuit, quæ misericors non fuit. Hanc enim virtutem voluit diuina sapientia idcirco extendi, vt sua quoque erga pauperes cura extenderetur. Neque potest vllam in rem pecunia vtiliùs expendi, quàm quæ expenditur in charitatem. Qua de causa *Frater quidam interrogauit* Pastorem *dicens: Dimissa est mihi omnis hereditas, quid facio ex ea? Et dicit ei Abbas Pastor. Vade, & post tres dies veni, & dico tibi. Venit autem, sicut præfiniuit, & dicit ei senex: Quid tibi habeo dicere, frater? Si dixero, da eam in Ecclesiam, clerici sibi facient conuiuia ex ea: Si autem dixero, da eam parentibus tuis; non est tibi merces: si verò dicam, da pauperibus, securus eris. Quidquid ergo vis, vade, fac.*

Apud Hermibert. Rosvveid. lib. 5. de vitis PP. libell. 10. de discr. n. 55.

# CAPVT XIV.

## *Moysis, Eliæ, Ioannis Baptistæ, ipsius Christi & Deiparæ, itemq; Apostolorum, ac primitiuorum Christianorum paupertas voluntaria.*

### §. I.

### *D. Bernardini de diuitijs ac paupertate parabola.*

S. Bernardin. t. 3. tract. de 8. Beatitud. serm. 2.

AD commendandam paupertatis virtutem, narrat S. Bernardinus Senensis hanc parabolam. *Rex quidam duas filias habuit, vnam pulcherrimam, aliam turpissimam. Pulchra appetebatur ab omnibus, & honorabatur: turpem verò nullus nedum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissimè flebat in conspectu regis. Cui rex: Noli flere, inquit, dilectissima filia mea: Nam qui in sponsam duxerit sororem tuam, nihil secum accipiet, nisi pulchritudinem suam: qui verò sponsam acceperit tu, dabo illi regnum meum.* Rex iste Deus est; filia specie corporis visenda, est gloriosa sæculi vita, diuitijs, delicijs, potentiâ, & magnificentiâ plena; quam omnes ambiunt, qui in rebus æstimandis, externũ dumtaxat

splen-

splendorem aspiciunt, neque aciem oculorum habent, qua penetrent ad interiora mentis ornamenta. Filia verò altera fronte seuera, genis pallida, labris macilenta, toto vultu horrida, est paupertas, plena fame, plena penurijs, plena despectu: sed *omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.* Tot enim virtutes, tot dotes, tot priuilegia secum trahit, vt nihil possit ei comparari, si rectis oculis aspiciatur. Solatium est enim ei, penuriam pati; opes maximas videt esse in egestate, despici honori sibi ducit: & cùm nihil habeat, omnia possidet; denique quisquis eam sibi desponsat, ei à Domino promittitur *regnum cælorum.* Hæc dos est paupertatis; cum interim viri diuitiarum, qui aureos montes sibi per somnum pollicentur, nihil præter fugitiuum splendorem cum diuitijs suis reportent. Et terribile est, quòd non aliqui saltem excipiantur, ait enim Dauid: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt* OMNES *viri diuitiarum in manibus suis.*

Psal. 44. 14.

Matth. 5. 3.

Psal. 75. 6.

## §. II.

### *Moysis, Eliæ, aliorumq; Prophetarum sancta paupertas.*

Qua de cauſſa, quiſquis iudicio, conſilioque magnus fuit, ſemper magni fecit paupertatem. Etiam in veteri teſtamento, vbi tamen alioqui magni fiebant terrenæ poſſeſſiones, tamen ſapientiores diuitijs eas non appoſuerunt; quin & fuerunt, qui etiã regibus eſſent, ob ſcientiam, virtutem, & Zelum, & prophetiæ donum, metuendi, tamen indigerent ab alijs ſuſtentari. Moyſes, in ſummo rerum dominatu, argentum, & aurum, aut alios theſauros non condidit. Cuius rei cauſſam Philo hanc reddit: *Non opes ſibi parauit, quamuis poſſet habere omnium rerum copiam: exiſtimans animæ pauperiũ indicium eſſe mirari materiales diuitias,* Nimirum, vt D. Paulus ait, *Fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere inconditatẽ, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorũ, improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem;* vtique alterius vitæ, quamuis etiam aliquam in hac vita receperit. Nam, vt Philo loco citato ait, ipſius per tot prodigia, aëris, aquæ & terræ, & totius vniuerſitatis imperium ampliſſimum ei datum eſt. *Horum omnium princeps electus eſt. Nam quia*

Phil. l. 1. de vita Moyſis.

Hebr. 11. v. 24.

regnum

*regnum Ægypti dereliquerat, cùm esset nepos regius, amore iustitiæ, visum est omnipotenti rerum Gubernatori, frequentioris, melioris q3 gentis regnum ei reponere. Itaque quoniam auaritiæ renunciauerat, & diuitijs honoratis apud homines, perfectas maximas q3 diuitias, pro his, Deus ei reddidit: hoc est, vt tantundem posset, quantum terra & mare, ac flumina elementa q3 cetera, & quæ ex his sunt condita. Fecit enim eum suæ potentiæ participem, totum mundum ei subdens, tamquam hæreditarium.* Quod etiam in alijs fecit, qui dum sponte fuerunt pauperes, facti sunt miraculorum patratores. Elias, qui alijs farinam & oleum diuina virtute multiplicauit, ne fame perirent, ipse indiguit ope aliena. *Corui quoq3 deferebant ei panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* Tanta erat illius paupertas, vt nisi ei bestiæ, ex mandato Dei, cibum ministrassent, fame illi pereundum fuisset. Alio libro ostendi, id diuina prouidentia sæpe factum fuisse, vt bruta animalia homines nutrirent. Hoc loco illud tantùm monstrare mens est, Eliam sua sponte pauperem fuisse; inuenisset enim vtique multos, qui ei etiam lautitias præparassent, si ipse voluisset. Sed contemtor aularum, 3 Reg. 17. 6.

aularum, maluit esse siluarum habitator; vnde & Deus ostendit, quale esset inter Eremitas, & Palatinos discrimen: illos corui pascunt, hi coruos. Eliam in hac paupertatis laude imitatus est Eliséus, adeò pauper vt frequenter transiens per Sunam, tamquam pauper à Sunamitide muliere hospitio exciperetur. Centum quoque Prophetæ fame perijssent, nisi eos Abdias dispensator Achab à furore Iezabel absconditos pane & aqua sustentasset. O quanta hæc paupertas? Tot Prophetæ ab alio debent sustentari? & sustentari non turdis, & ficedulis, sed pane & aqua? Verùm hos, sicut & Iobum, existimabit aliquis necessitate, non voluntate pauperes extitisse; quemadmodum enim mali dæmonis inuidia Iob ad incitas, immò ad fimum redactus est, ita & Prophetas illos Iezabel in speluncas coëgit se abdere. Esto ita. Sed non est exigua virtus, paupertatem oblatam acceptare.

4. Reg. 4. 8.

3. Reg. 18 4.

## §. III.

### *S. Ioannis Baptistæ maximæ paupertatis experimenta.*

Quamquam nec voluntariæ paupertatis exempla desint. Et vel solus Ioannes Bapti-

sta

sta quantum fuit exemplar paupertatis? Si vestem aspicias, nec mollem ille induit, nec pretiosam: si cibos, non adhibuit ille delicatos: si habitationem, inter feras vitam vixit: *Quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce, qui in veste pretiosa sunt, & delicijs, in domibus regum sunt.* Tria indigitantur, vestes, dapes, ædes; quas pauperes & diuites planè oppositas habent. Quid de diuite *legitur? Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendidè.* Ex purpura aliqui regem fuisse conijciunt, aut certè regulum, vel principem, immo ipsum Herodem; Euthymius, ex Hebræorum traditionibus Nineusi nominatum autumat. Quisquis fuerit, diues certè fuit, cui è diametro opposita omnia de S. Ioanne Baptista recensentur. Non enim ille mollibus vestimentis, non purpura indutus incedebat. Etenim *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorũ, & Zonam pelliceam circa lumbos suos.* Non epulabatur quotidie splendidè, sed *esca eius erat locusta, & mel siluestre.* Non habitabat *in domibus regum*, sed in deserto, & circa Iordanem. Qualis habitus, victus, locus Eremitis conuenit, Hæretici,

Luc 7. 25.

Luc. 16. 19.

Matth. 3. 4.

olores

ósores paupertatis, pietatis, religionis, omnia in Ioanne permutant; & quia horridi, homines elegantes scilicet, abominantur, ex solitudine vrbes fabricant: ex pilis camelorum pretiosam illi vestem contexunt; locustas in marinos cancros vertunt. Quidam enim vestem è pilis camelorum scutulatam vndulatamque interpretantur, quali reges olim vsos meminerunt. Nimirum apta pluuijs, apta tempestati; apta solitudini, nedum pœnitentiæ, erat vestis Damascena. Quis credat, eum vrbanas munditias amauisse, qui vrbes ipsas fugit? *nulli se vmquam hominũ consuetudine iungens*, ait S. Chrysostomus, & *continuo solius Dei fruebatur alloquio, non lecto, non tecto, non foro, non alia quapiam humana re vsus est vmquam.* Alij itaque paullò intelligentiores, vestem eam è crudis camelorum pellibus fuisse confectam, iuxta communem pauperum illius regionis morem & habitum. Addunt nonnulli, Ioannem non certa religione, sed quadam necessitate id vestimenti genus portauisse. At Euangelistæ, eum habitum, tamquam singularem describunt, vt Ioannis sanctitatem indicent, caussamque, ob quam populus ad eum, veluti ad monstrosè vesti-

S. Chrysost. in cap. 11. Matthæi.

tum,

tum, videndum, tanto concursu confluxit. Quòd si vestis pellicea fuisset, cur diuina historia discrimen faceret, diceretque, vestem ex pilis camelorum, zonam autem pelliceā fuisse? Innuit enim, vestem pelliceam non fuisse. Etsi enim zona minùs aspera atque horrida fuerit, quàm reliqua vestis, tamen erat ex cruda & pilosa pelle, qualis etiam olim erat Eliæ, in cuius spiritu Ioannes Christum præcessit. Fuit ergo Ioannis *vestimentum de pilis camelorum*, hoc est, horridum & aculeatum cilicium, vt Emissenus, & Anselmus docuerunt. Decebat siquidem, vt qui pœnitentiam prędicabat, pœnitentiæ habitu vteretur, quo plurimi, in veteri testamento vsi leguntur. Et conueniebat etiam, vt qui mundum ac pompam eius contemneret, à mundi ornatu abhorreret. De cibo quoque disceptatur. Scriptura ait: *Esca autem erat locustæ, & mel siluestre.* Locustas hæretici *cancros marinos* interpretantur, quos cum alijs piscibus captos piscatores, ad Iordanis ripas eiecerint; quòd, quia in Leuitico, lege immundi dicebantur, eos vendere non possent. Itaque ex horum cerebro, Ioannes, lege contemta, cancros collegit, quibus ipsi libenter vescuntur. Sed rabi-

4. Reg. 1. 8.

Emissen. homil. 1. de Io. Baptista.

Anselm. in c. 3. Matth.

Gen. 37. 34.

2. Reg. 21. 10.

3. Reg. 25. 27.

4 Reg. 6. 30.

1. Par. 21. 16.

Iudith. 4. 9.

Psal. 34.

Ierem. 4. 8. & 6. 26. & 48. 37. & 43. 3.

mirabiles sunt coci, qui ex ocustis cancros faciunt. Neque enim ἀκρίδας cancros, sed locustas significant, humile insectorum genus, quod saltando volitat, & volitando saltat, neque est cibus adeò horrendus & inusitatus, vt ab eo Orientales abstinuerint, quamuis vilissimus esset, vt sunt & limaces apud nos, & formicæ apud Indos. Ac sanè si locustæ in cibo non fuissent, non eas Moyses inter munda animalia, quibus vesci licebat, numerauisset, Et quamquam Nicephorus putarit, arborum frondiumque summas partes (quòd extremæ sint ἀκρίδες) esse putârit: tamen vel etiam hinc paupertas Ioannis eluceret. Talibus enim etiam Philosophum Diogenem, ob inopiam, epulatum esse legimus. Nec paupertati obnunciat *mel siluestre*, quo itidem vescebatur, vtique in calida & fertili regione, & in terra Palæstinæ lacte & melle manante, passim obuio.

Plin l. 11. cap. 29. Plutarch. in lymp.

Niceph. lib. 1. c. 14.

Ælian. lib. 13. variar. c. 26.

## §. IV.

### *Christi Domini ac Seruatoris paupertas.*

Qualis prodromus, talis & Christus. Hinc D. Augustinus titulum Psalmi 101. qui est: *Oratio pauperis*, de Christo interpretatur. Et recte. *Scitis enim gratiam Domini nostri IESV Christi*

2. Cor. 8. 9.

*Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis,* tunc scilicet, *cùm in forma,* seu natura, *Dei esset, & non rapinam arbitratus est, esse se equalem DEO,* sed reuera in gloria *erat æqualis Deo, adeoq; Deus, diues in omnes, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Pauper factus est Christus,* inquit D. Gregorius Nazianzenus, *vt nos illius paupertate diteſcamus: serui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus: descendit, vt euehamur: tentatus est, vt vincamus: contemtus est, vt nos gloria afficiat: mortuus est, vt seruet: ascendit, vt ad seipsum trahat humi prouolutos in peccati lapsu.* Diuitias illius enumerare nemo potest. Est enim Deus, cuius sunt omnia. Paupertatem refero, quæ in vtero Matris cœpit, nam corpus animatum habuit omnium minimũ, sed postea in nato magis apparuit: nam eam à domo, à diuersorio, à lecto, à cibo, à potu, à veste possumus demonstrare. Siquidẽ Christus rex regum in stabulo natus est, quia *non erat ei locus in diuersorio.* Pro purpura pannis inuolutus, ijsq; vilibus, pro regali throno habuit præsepium, pro culcitris stramẽ, pro plumis fœnum: pro foco, bouis & asini halitum: pro peristromatis, telas

Philip. 2. 6.

S. Greg. Nazian. orat. 1. in Pascha.

Luc. 2.

aranearum; pro odoramentis excrementa bestiarum, pro equitatu duo iumenta; pro procerum turba, Ioseph & Mariam. Nec ditior factus est, cùm adoleuit. Vndeipse

Matth. 8. 20. ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Nullus ei lectus, nulla domus erat. Quare & super assere, in naui dormiuit.

Matth. 8. 24. Sæpe etiam non habuisset, quod comede-

Luc. 8. 2. ret, nisi suprà dictæ piæ mulieres eum secutæ, de facultatibus suis ei ministrauissent. Sic tota deinceps vita pauper fuit, &, vt Græcus textus, habet ἐπτωχεύσε, *mendicauit*. Quin & moriturus bis veste sua, quam habuit vnicam, exutus, atque altera vice etiam spoliatus fuit. Vtque fas est credere, sine pileo, sine calceis passim incessit, Crucem passuro nemo poliuit. Clamanti inter maximos cruciatus, nemo aquam, sed acetum, amaram vtique potionem porrexit. Sepeliendo lintea aliunde fuerunt suppeditata. Quin & ipsum denique sepulchrum fuit alienũ, vt neque viuus haberet, vbi caput reclinaret; neque mortuus, vbi corpus eius tumularetur. Vsque adeò non in laboribus tantùm sed etiam in paupertate fuit, à iuuentute sua, ad extremum spiri-

tum.

tum. Qua de caussa huius paupertatis, quã pro nobis sponte susceþit, meritò gratam à nobis memoriam exigit, per Prophetam: *Recordare*, inquit, *paupertatis, & transgreßionis meæ, absinthij & fellis, Paupertatis*, quia in ea natus & educatus sum: *transgreßionis*, quia ab Herode in exilium fugatus, ex terra Israël in Ægyptum transgredi debui; quid autem exules sustineant, notum est: *absinthij & fellis*, quia iste fuit potus meus, non solùm in cruce, sed per totam vitam frequenter. A Martha, à Zachæo, à Publicanis & peccatoribus hospitio exceptus; ab ipsa muliere Samaritana haustum aquæ petens refectus est. Harum rerum qui recordabitur; facilè suarum ærumnarum obliuiscetur. Ille enim est Dominus: quid queratur seruus, si paria sustineat? ille est, qui virtutem paupertatis ex cælo attulit, & terris inuexit: quis optet, Deo suo experiri meliora? Hinc tot habuit imitatores, quot virtutum eximios æstimatores. Thren. 3. 19.

§. V.

*Beatißimæ Dei Matris paupertas.*

Et sanè perfectio consiliorum Christi, debuit à Christo, qui est finis legis, inchoari, ea re autem nihil obstante, *sicut gratia*

plenitudo, ait S. Thomas, *perfectè quidem fuit in Christo, & tamen aliqua eius inchoatio præcessit in Matre: ita etiam obseruatio consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre eius.* Quare ipsa Christi mater S. Brigittæ reuelauit, se paupertatis votum nuncupasse, ita enim ait: *A principio voui in corde meo, si esset Deo acceptabile, obseruare virginitatẽ, Nihil vmquam possidere in mundo.* Itaque paupertas Deiparæ, non ex necessaria rerum inopia, sed ex spontaneâ bonorum abdicatione profecta est. Hanc à parentibus didicit, hanc à Filio exactissimè cultam, eius exemplo, perfecit. Parentes enim illius bona sua trifariam diuidebant; partem vnam templo, templique ministris; alteram peregrinis, & pauperibus; tertiam familiæ suæ vsibus impendebant. Fuit autem MARIA non tam pecuniarum, quàm virtutum paternarum hæres. Didicit igitur à prima ætate voluntariam paupertatem, vt Petrus Canisius ostendit. Eamdem, tota deinde vita, coluit, vt ipsa, dum breui compendio S. Brigittæ vitam suam recensuit, his verbis testata est: *Omnia quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilq; mihi, nisi tenuem victum,*

S. Thom. 3. p. q. 28. a. 4. ad 2.

Lib. 1 Reuelat. S. Brigittæ, c. 10.

Petr. Canis. lib. 1. de B. Virgin. c. 4. In reuelat. lib. S. Brigittæ 1. c. 10.

*ctum, & vestitum reseruaui.* Quàm tenuis autem fuerit vestitus, ipsa materia, quæ de eo seruatur, perspicuè demonstrat; & docent, qui de sacris eius reliquijs scripserunt. Et alio loco sic cum S. Brigitta loquitur: *De diuitijs ego & Ioseph nihil reseruauimus nobis, nisi necessaria vitæ ad honorem Dei, reliqua dimisimus, propter honorem Dei.* Huic eius paupertati testimonium dat Nazarethica domus, vilis & parua; stabulum in quo Christum peperit; panni quibus filium inuoluit: munera magorum, quæ ei obtulerunt: par turturum, quos ipsa, more pauperum, obtulit: labor manuum, quo se & Filium aluit, Iosepho quoque & Christo adolescente otio locum non dantibus. Quæ confirmat egregiè S. Basilius in hunc modum. *Christus prima ætate parentum suorum imperio subiectus fuit, & labores corporis omnes æquo vnà cum ipsis animo illis obediens tolerauit. Verisimile est enim, cùm homines illi essent & iustitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, neque necessarijs ad viuendum copijs satis instructi (quod ex præsepio intelligi potest, in quo venerabilis ille fœtus est fœtus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porrò IESVS cùm in his, vt diuine*

Lib. 7. reuelat. S. Brigittæ. c. 25.

S. Basilius in Constitutionib. monastic. c. 5.

*uina littera prædicant, esset subiectus, sine dubio, in perferendis etiam vnà cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam.* Vidisses sanctissimos tres pauperes labore inter sese certantes, Iosephum ligna secantem & dedolantem; IESVM sarmenta colligentem, & in vnum cumulum comportantem; Mariam scitissimè fila deducentem. Nam Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus, affirmat eam accuratè perdidicisse artem tractandi lanam, linum, sericum. *Erat* inquit, *docilis, & amans doctrinam, & non solùm in sacris litteris, sed etiam in lana, lino, serico & byssо laborabat. Erat præterea in sapientia, & intelligentia super omnes illius ætatis adolescentulas cunctis admirationi, quæ & verè consuerit ea, quorum vsus in templo erat sacerdotibus.* Idem testatur S. Anselmus. Ex quibus tantò credibilius est, tunicam Christi inconsutilem desuper contextam per totum, opus fuisse Deiparæ manibus elaboratum, vt volunt S. Antoninus & Euthymius. Neque obstat eximiæ Virginis paupertati, quòd aurum à Magis acceperit, & quidem ea copia oblatum, quæ regias manus decebat, vt etiam in sacra historia insinuatur. Neque enim ex marsupio, aut parua aliqua pyxide,

Epiphan. Presbyt. in vita B. Mariæ.

S. Ansel. in vit. Deiparæ.

S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 43. §. 1.

Euthym. in c. 27. Matth.

pyxide, vel vase poculo non maiore id depromebant; sed *apertis thesauris*. Grande aliquid esse debet, quod thesaurus possit regius appellari. Quidam, apud Abulensem, aiunt B. Dei matrem munera illa, quamuis copiosa à Magis oblata delibasse tantùm, & ex singulis modicum quid acceptasse. Sed mihi hic modus minùs videtur conueniens: quis enim credat, modestissimam Virginem ipsam manus iniecisse in regios thesauros, atq; inde hausisse, quantum ipsi, non quantum regibus videbatur? Acceptauit itaque totum, quod Magi Filio obtulerunt, cuius sciebat maiestatem nullis muneribus sat dignè posse honorari, neque mysteria, quæ eis significabantur ignorauit: sed illico, quod accepit, pauperibus erogauit, vt D. Bonauentura alijq; existimant. S. Antonini verba sunt: *Aurum sibi oblatum à Magis non modicum, prout decebat eorum regiam maiestatem, non sibi reseruauit in posterum, sed (vt dicebat deuotus Bernardus) pauperibus per Ioseph dispersit.* Quid facis, ô Virgo, cur aurum das alijs? ipsa pauper es; mox iubeberis exulare; in Ægypto quis te alet? itineri aliquid reserua. quis scit quando reuersura sis ad notos & familiares? Et quid putas, numquam

Abulens. in cap. 2. Matth. q. 47.

S. Bonauent. cap. Medit. vit. Christi S. Antonin. 4. p. tit 15. c. 32. §. 2.

ægrotabit tuus Ioſephus? numquam eſuriet tuus IESVS? mille ſunt humanæ vitæ caſus, qui pecuniam exigunt, Cur aurum non ſeruas à regibus donatum? Breuis, & grauis eſt reſponſio. *A principio noui in corde meo, ſi eſſet Deo acceptabile, obſeruare virginitatem, nihil vmquam poßidere in mundo.*

Lib. 1. Reuelat. S. Brigittæ, c. 39.

## §. VI.

### *Apoſtolorum paupertas.*

Ita rex regum, & diuina Sapientia, ita Deus & Dei Mater, Regina Angelorum, paupertatem amauerunt. Quid putemus Apoſtolos feciſſe? quid Martyres, quid Confeſſores, quid Eremitas, quid tot ſanctas Viduas & Virgines? quid Angelicos adoleſcentes & adoleſcentulas? quorum totum ſtudium fuit, vt Chriſtum imitarentur. De Apoſtolis omnibus loquens verter Apoſtolorum Petrus ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Neque reliquerunt omnia dumtaxat, ſed reliquerunt etiam ex voto. *Apoſtoli*, inquit S. Thomas, *intelliguntur vouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum, relictis omnibus, ſunt ſecuti.* Ex quo loco duo colliguntur. Primum eſt, ſi Apoſtoli in vouenda paupertate ſunt ſecuti Chriſtum, ergo & ille in eadem pau-

Matth. 19. 27. Luc. 14. 33. S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3.

pertate

pertate vouenda præcessit, tamquam perfectionis magister, qui illis specimen & exemplum dedit. Certè perfecta opum abnegatio ac abrenunciatio, non fit nisi per votum, per quod vouens non tantùm præsentia, sed etiam futura bona, quæ habere potest, liberè à se abdicat. Præterquam, quòd sit nobilissimus religionis actus, quo non tantùm res & actus, sed etiam voluntas ipsa in totum Deo consecratur, ita vt rem, nec habere, nec velle possit. Ob quas rationes probabilius est, Christum voto se ad paupertatem obstrinxisse, vt cum Medina, Caietano, & alijs docet Suarez & Salmeron, & ego fusiùs ostendi, in lib. de Imitatione S. Pauli Apostoli. Alterum est, Apostolos Euangelicorum consiliorum magis exemplo, quàm verbo, magistros extitisse. *De terra*, inquit S. Augustinus, *suscitatus est* (Paulus) *super omnes diuites pauper, & de illo stercore erectus supra omnes populos opulentos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis super sedes duodecim, & sedem gloriæ hæreditatis dans eis: Dixerant enim potentes isti: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hîc continuò*

Franciſc. Suarez 3. p. q 40. diſp. 20. ſect. 2.

Salmerō. t. 5. tract. 4.

Auguſt. l. 1, 7 de ciuit. c. 4.

Aluar. Pelag. lib. 2. de planctu Eccl. c. 9. Hieron. Plat. l. 1. de bonestat. Relig. c. 20. Ælian. lib. 7. var. Plutarch. in vita Phocionis, Cic. lib. de senectut.

*dictum est, Dans votum vouenti?* Videri potest Aluarus Pelagius, & Hieronymus Platus. Admirationem mouit olim Agesilaus rex Lacedæmoniorum jam senex, quòd per sæpe sine calceis & tunica prodiret in publicum, cum lacera veste, idque matutino tempore hiemis; vt scribit Ælianus. Et Phocion Athenienſium dux mirificè extollebatur, quòd ruri aut militiæ nudus semper & absque calceis incederet, nisi frigus intolerabile incidisset; ita vt per iocum etiam milites intensum gelu significari, amicto Phocione, dicerent, teste Plutarcho. Et Cicero ait: *Audisse te arbitror, Scipio, hospes tuus auitus Maßinissa qua faciat hodie nonagintà annos natus: cùm ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere; cùm equo, ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, vt capite operto sit, summam inesse corporis siccitatem: ituq; exequi omnia regis officia, & munera.* Hi tales, vel ob corporis ita assueti duritiem, vel ob vanum populi plausum, neque capite, neque pedibus tecti incesserunt; Apostoli id ex mandato Christi, ex amore paupertatis factitarunt.

Matth. 10. 9.

Illis enim dictum est: *Nolite poßidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis ve-*

*stris;*

*stris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Etiam hoc igitur, Christi imitatione, fecerunt. Nonnulli putant, non omne genus calceamenti, sed illos tantùm calceos à Domino prohibitos, qui totum pedem tegerent; sandalia autem, quæ soleæ erant, solamq; tegebant plantam, concessa esse. Aliqui existimant, duo paria calceorum, alterum in defectum, sicut *duas tunicas* Christum vetuisse; ne in futurum solliciti essent. Sed mihi prior sententia probabilior videtur; est enim concordiæ Euangelistarum, & paupertati Apostolorum conuenientior. Itaque semitecti incedebant. Qualibus autem vestimentis, quàm vili materia vsi sint, & picturæ, & reliquiæ illorum declarant. Cibos quoque non lautos eis apponebat Christus, qui eis, etiam post resurrectionem, exacto magno piscationis labore, exiguum conuiuium apparauit. *Vt* enim *descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.* Denique propriam habitationem nullam habuerunt; sed, instar mendicorum, vbique & nusquam, domi fuerunt; totusque mundus & exilium & patria illis extitit. De S. Pauli paupertate, in

S. Augustin. lib. 2. de consens. Euang. c. 30. S. Hier. in c. 10. Matth.

Ioan. 21. 9.

in citato libro multa dixi. Illud hîc addendum est, quod S. Antoninus, in sexto gradu paupertatis, ex Alberto, his verbis indicat: *Sextus, omnia dare, semetipsum relinquere, & vltra hoc laborare manibus, vt tribuat necessitatem patienti, vt fecit Paulus; qui laborabat manibus suis, vt ipse dicit ad Corinthios, vt sibi & socijs subueniret.* Et quamuis manuum labore sibi & alijs victum quæreret; tamen & illud dixit: *Vsq; in hanc horã & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus.* Vbi omnia pauperum incommoda recensuit; famem, sitim, nuditatem, despectum, denique & defectum habitationis, ait enim *instabiles sumus*, certam sedem non habentes.

S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 32. §. 2.

1. Cor. 4. 11.

## §. VII.

### *Plurimos in primitiua Ecclesia, sicut & Ananiam, & Sapphiram, se voto paupertatis obstrinxisse.*

Apostolis tempore proximi, erant proximi & virtute. Nam primæui fideles, etiã coniugati, vouebant vt plurimùm paupertatem. De ijs enim testatur D. Lucas ita: *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum*, doctrina autem Apostolorum non erat tantùm de præceptis, verùm etiam de consi-

Act. 2. 42.

lijs

lijs Euangelicis. Sed longè clariùs id docetur historia Ananiæ & Sapphiræ. Ananias enim dicitur *fraudasse de pretio agri, conscia vxore sua.* Quæ fraudatio furtum, immò sacrilegium rei Deo dicatæ nominatur à SS. Patribus: quia vel disertè vouerat, vel certè professus erat verbis, aut ipso facto plenam bonorum, & pretij eorum venditorum abdicationem. Itaque non solo mendacio, aut hypocrisi peccauit, quòd scilicet simularet se dare totum, cùm daret partem tantùm. Certè si *fraudauit*, fraus non in propria, sed aliena re potuit committi, & si votum violauit, necesse est, eum paupertatem promisisse. Violasse autem votum, disertè affirmat S. Augustinus inquiens: *Dum ex eo, quod promiserat, partẽ subtraxit, sacrilegij damnatur & fraudis. Sacrilegij, quòd Deum in pollicitatione fefellerit, Fraudis, quòd integris muneribus portionem quamdam putauerit subtrahendã.* Potuisset licitè vel totum pretium, vel partem eius seruare, si non vouisset: *nonnè manens tibi manebat*, ait S. Petrus; nemini igitur iniuriam fecisset, neque peccasset fraude lethali, sed mendacio dumtaxat veniali; quod morte tam subita, publica, & infami non fuisset punitum. *Quare*

Act. 5. 3.

S. Augustin. serm. 27. de verb. Apost.

*hoc*

S. Chrys. hom. 12. in Act. S. Basil. ser. 1. de instit. Monach. S. Athan. serm. de Passion. & cruce. S. Naz. in carm. de Virgin. S. Hieron. ep. 8. S. Greg. l. 1. ep. 33 S. Cyprian lib. 3 Testim. c. 30.

*hoc feciſti?* inquit S. Chryſoſtomus, *Voluiſti habere? oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem poſtquam conſecraſti; maius ſacrilegium commiſiſti.* Ita Baſilius, Athanaſius, Nazianzenus, Hieronymus, Gregorius, & alij SS. Patres docuerunt. *Ni, humanæ gloriæ cupiditate, Ananias, quidquid bonorum habebat, Deo palam conſecraſſet, vt hominum de ſe opinionem excitaret,* vt S. Baſilius loquitur, vix credibile eſt S. Petrum dicturum fuiſſe: *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri?* itemque: *Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus Deo, ſed hominibus.* Nimirum ille dicitur mentiri Deo & Spiritui ſancto, qui id, quod ei promiſſit, & vouit, non ſeruat; non autem, qui in re propria mendacium ſolùm officioſum profert, nec pernicioſum; quale fuiſſet tantùm, ſi Ananias cum vxore votum non emiſiſſet. Cum itaque Ananias & Sapphira paupertatis voto ſe obligarint, argumentum eſt manifeſtum, ſtatim, tempore Apoſtolorum, plurimos amore paupertatis incenſos ad eam ſeſe voto obſtrinxiſſe.

## §. VIII.

### *Eſſenorum paupertas.*

Qua

Qua de caussa Esseni, quos S. Marcus Alexandriæ instituit, ad instar primorum fidelium, quos viderat Ierosolymis à S. Petro institutos, paupertatis laude claruerunt, de qua re vel Ethnicos audiamus. Plinij verba accipe: *Gens* (Essenorum) *sola in toto orbe, prater cetera mira, sine vlla femina, omni Venere abdicata, SINE PECVNIA, socia palmarum, in diem ex æquo conuenarum turba renascitur &c. & ita gens æterna est, in qua nemo nascitur: tam fæcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* Plin. l. 5. c. 17.

Adstipulatur Solinus, cuius hæc sunt. *Interiora Iudææ Esseni tenent, qui praditi morali disciplina, recesserunt à ritu gentium vniuersarum: maiestatis, vt reor, prouidentia ad hunc morem destinati. Nullæ ibi femina, venere se penitus abdicant;* PECVNIAM NESCIVNT, *palmis victitant: nemo ibi parit, nec tamen deficit hominũ multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est, ad quem plurimi licet undiq; gentium properant, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Itaq; incredibile dictu, gens æterna est, cessantibus puerperijs.* Solin. Polyhist. c. 36. Hæc Solinus, qui rectè scribit, Essenos castitatem paupertati coniunxisse. Nam pecunijs indigent, quivel de prole cogitant, vel de voluptate.

Esseno-

Essenorum porrò paupertas multis testimonijs est confirmata. Eusebius ex Philone ita scribit: *Nemo proprium aliquod possidet, non domos, non pecus, non vas aliquod, sed omnibus in medio positis communiter vtuntur: habitant simul, & conuiuunt vt sodales: Cumq; omnia pro communi vtilitate faciunt, alia aliorum negotia sunt quæ impigrè subeuntes curant; non frigus, non calorem, non aliquam aëris mutationem formidantes. Sunt autem eorum alij agricolæ, alij pastores, alij apum cultores, alij aliarum artium magistri. Cumq; à laboribus suis mercedem ceperint, apud eum deponunt, qui quæstor creatus est. Is omnia diligenter procurat, quibus egent: egent autem paucissimis, cùm omnem luxum, tamquam animæ & corporis morbum aspernentur.* Et infrà de ijsdem: *Quòd virtuti studeant, patet, quia pecuniam negligunt.* Ac rursum. *Nullus domum habitat, quæ omnium communis non sit: vnum erarium, vnus sumtus omnibus est: vestis communis, communis cibus & potus, communis mensa, omnis vita communis est.* Atque alio loco: *Hoc in primis testatur, quòd facultatibus suis renunciarint, ac bonis ad se pertinentibus cesserint ij, qui Philosophari cœpissent, & cunctis huius vitæ curis abstinuerint, &c:* Et infrà.

Euseb. l. 8. Præparat. Euang. cap. 4. Vide eumd. lib. 9. de Præpar. Euang. c. 1. & Iosephb. l. 3. de bell. cap. 7.

Euseb. l. 2. Hist. c. 17.

Vinum

*Vinum quidem nemo omnino, ne gustu quidem contingit, sed nec quamlibet carnem, tantùm autem aqua est eis poculum, & panis cum sale vel hyssopo cibus.* Tales fuêre Esseni, nempe primi fideles Hierosolymæ & Alexandriæ. Qui quò tempore, eò etiam, vt dixi, virtute fuére Christo propiores.

## §. IX.

### *Pauperes esse DEO similes.*

Nam, vt scitè Nyssenus dixit: *Christianismus est vitæ diuinæ imitatio.* Et Nysseni frater Basilius: *Christianismus quid est? Assimilatio Dei, quatenus eam assequi potest humana fragilitas naturæ. Votine reus es, te Christianum fore? Ne cunctere Deo fieri similis. Christum indue.* Quæ sanè maxima est commendatio paupertatis, quòd Deo similes efficiat. Quid ita? cùm præsertim Deus sit Dominus omnium rerum, omnibus abundet, nec quidquam ei desit; pauperes autem penuria laborent? & ob hanc ipsam caussam, vt ex Varrone Tiraquellus aduertit, *diuites*, quasi quidam *Diui* habeantur? Ita planè vulgus iudicat, cùm nemo magis à Diuis distet, quàm *diues* plenus curis, & ærumnis. Pauper autem proximè ad Deum accedit. *Sunt aliqui*, inquit Philo, *quos*

S. Greg. Nyss. init. tractat. S. Basil. homil. Jo. Hexaëmer.

Tiraquell. cap. 3. de Nobilit. n. 22.

(Deus) *promouet, & volantes super omnes species, omniaq; genera prope seipsum collocat: sicut Moysi quoque dicit: Tu verò hîc sta mecum.* Et paulo pòst. *Quin & cùm in terrenis eo vtebatur negotijs, non principis, aut regis communem aliquam virtutem indidit ei; Sed Deum eum constituit.* Deum scilicet Pharaonis; in quem ei velut diuinam potestatem dedit; quia diuinam velut vitam vixit. Audi igitur, quo modò voluntate pauperes vitam diuinam imitentur. 1. Quia sanè Deus est diues: at si Bias interrogetur, quis pro diuite, quis pro paupere habendus sit, ita ratiocinatur; apud Ausonium.

Philo. lib. de sacrificio Abel & Cain.

*Quis diues? qui nil cupit: aut quis pauper? auarus.*

Cùm ergo voluntarius pauper nil cupiat; auarus autem plurima, consequens est, auarum pauperem; voluntarium autem pauperem diuitem, adeoq; in hoc Deo similem esse. 2. Quia ideò Deus diues est, quòd sine nostra liberalitate satis ipse habeat, juxta illud: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges.* Atqui, si Quintiliano credimus, homini paupertatem amanti, *Satis diuitiarum est, nihil amplius velle*: & vt Clemens Alexandrinus ait: *cupidita-*

Psal. 15. 1.

piditatum inopia, optima est diuitiarum copia. 3. Tantò quisque propiùs accedit ad similitudinem Dei, quantò sibi ipse magis sufficit, tantò à vitæ diuinæ imitatione longiùs recedit, quantò minùs ipsi sufficit, pluribusque indiget, qui ei succurrunt. Diuites mundi igitur necesse est, Deo longè esse dissimiliores, & quò ditiores sunt, longius à vitæ diuinæ imitatione recedere. Si quidem tantò minùs sibi ipsis sufficiunt. Quod inde intelligi potest, quia maiores Domini, maiorem habent comitatum, plures seruos, plures opifices. Alij sunt eis à consilijs, alij à cubiculis, alij à poculis. Nec jam tantùm indigent sartoribus, sutoribus, mercatoribus, aurificibus, lanionibus, cocis, hortulanis, medicis, pharmacopolis, & sexcentis alijs, talibus; verùm etiam manè, qui eos à somno excitet; qui lumen accendat; qui vestem internam & externam, qui calceos inducat; qui calamistro crines componat; qui eis matulam, qui guttulum, qui mantile porrigat; qui pallium in humeros inijciat, qui gladium lateri accommodet; qui præcedat, & viam monstret face prælata; qui cibos afferat, carpat, in orbe anteponat; qui calicem crystallinum lauet, impleat, pra-

gustet. Denique aula non capit omnes, qui pro eius mensa, pro cella, pro vestiario, pro ærario, pro archiuo laborant. Necsatis est, vt in custodiam illius centum excubent satellites, decem centuriones; totos debet alere exercitus, vt in regno suo sit tutus. Nondum contentus est, quingenti illi non sufficiunt venatores; canum autem innumera turba à pauperibus alenda; vt vel hinc similis fiat illi diuiti, cuius canes vulnera Lazari linxerunt, vt illius sanguine alerentur, cui herus illorum negauit micas de mensa cadentes. Finis nullus erit, si omnia velim enumerare, quibus diuites necesse est sustentari. His omnibus non indiget pauper. Sine comitatu incedit; nec famulos constituit, nec seruos conducit, nec opifices occupat. Non habet consiliarios, non cubicularios, non pocillatores. Nihil curat sartores, qui cum D. Paulo potest nudus cæli iniurias perferre: nihil sutores, qui assuêrit nudis pedibus iter facere; nihil mercatores, aurifices, Phrygiones, qui munditias vrbanas, qui floridas vestes, qui fulgentes abacos aspernatur. Ipse sibi lanio, ipse cocus, ipse hortulanus, ipse medicus, ipse pharmacopola est. Ipse sibi lumen;

men, ipse focum accendit: ipse tunicas & crepidas induit; ipse sibi barbam, sine speculo tondet; neque indiget manè, qui è lecto ad mensam vocet, inedia eum excitat, inopia contra fures & latrones defensat. Itaque quia *illi conuenit cum paupertate, diues est. Quod vult, habet, quia velle, quod satis est, potest. Minimo eget, quia minimum cupit:* nihilo eget, si nihilum cupit. Quanta hæc est Dei & pauperis similitudo? Quantùm ab hac distat diues, qui plurimis, & maximis eget, plurima & maxima cupit? Testis est Tacitus, Neronē Valerio Messallæ consuli, qui Coruini Oratoris pronepos fuit, obtulisse in singulos annos quingenta sestertia, quibus paupertatem & inopiam sustentaret, hoc est, nostræ pecuniæ duodecim millia & quingenta aureorum, vt Budæus computat. In hac tanta summa Messalla paupertate laborare censebatur; quia existimabat, se egere maiore, quam desiderabat. Is autem, qui paucis potest esse contentus, paucis eget, atque eapropter ditior est quolibet locuplete. *Diogenem admirari magnopere atque laudare soleo rerum humanarum omnium contemtorem*, ait S. Basilius, *qui se rege Alexandro ditiorem para-*

Tacit. lib. 1.

Budæus lib. de asse.

S. Basil. hom. 24.

*contentus ostendit, cùm ille procul dubio ad suũ statum sustinendum pluribus indigeret. Nobis autem, si non Bithiæ Misij adsint talenta, & iugera tot terræ, pascuaq; ac greges innumerabiles, nulla satietas est.* Quantùm ergo ostendimus nos diffidere à Deo, si tantis ipsi nos fatemur indigere?

## CAPVT XV.

### *Amicos, & fratres Christi Domini, hoc est, pauperes voluntarios, etiam posterioribus sæculis, plurimos extitisse.*

### §. I.

### *Pauperes esse amicos Christi.*

QVoniam autem homo, quamtumcumque allaboret à se terrena omnia abdicare, tamen adhuc infinitis, à diuina perfectione, modis distat, semper enim adhuc multis indigebit, idcirco, Deus, cui accedere ad perfectionem nihil poterat, homo factus est, vt imperfectiones quasdam hominis assumeret, atque cibo, potu, veste indigeret, quibus quàm moderatissimè vtendis, nos frugalitatem edocuit. Quamobrem, teste S. Bonauentura,

S. Bonau.

S. Fran-

S. Franciscus *Aiebat socijs: Dum pauperē vides, ô frater, speculum tibi proponitur Christi: ipseq; in pauperibus omnibus Christi effigiem contemplabatur.* Quare ficut homo ratione præditus ad imaginē & similitudinem Dei eſt creatus, ita homo paupertate ornatus, ad imaginem & ſimilitudinem Chriſti eſt factus. Idcirco ſe exinaniuit, vt nos eius exemplo conformaremus. Ad hunc ergo paupertatis magiſtrum, qui proximè accedit imitatione, ita ſe Deo probat, vt eum non jam ſeruum (quæ tamen magna dignitas eſt, cùm ſeruire Deo, ſit regnare) ſed amicum, ſed fratrem, ſed imaginem Dei vocet. *Cornelius,* inquiebat Phrinicus, *à ſecretis Imperatoris, eſt nomine tenus, ſed ei vſque adeò eſt in amoribus, vt reipſa Imperij particeps, & collega haberi debeat.* Ad eumdem modum, qui Chriſtum ſequuntur, ſerui Chriſti ſunt nomine tenus, reipſa amici. *Vos amici mei eſtis,* inquit, *ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis,* multò magis, ſi feceritis, quæ ego conſulo vobis. *Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcumq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Inter quæ arcana eſt amor paupertatis. Siquidem

in vita S. Franciſc. cap. 8.

Phrinic. in principio Egl. Attic. apud Alexandr. Pellegrinū in c. 15 Matth. Paradoxo 1. Ioan. 15. 14.

*non omnes capiunt verbum hoc.* Qui autem capiunt, ex seruis transeunt in numerum amicorum. An non quæstuosa est seruitus, cui amicitia pro mercede est? Longè alia seruitus est Mundi & diuitiarum, ea enim facit ex amicis seruos. Ita enim contigit Dauidi, cui ob illustres de Amalecitis, de Gessuri, de Gerzi, relatas victorias, rex Gethæus, vt aliquam grati animi significationem exhiberet, dixit: *Erit igitur mihi seruus sempiternus.* O ingratum regem! ô barbaram aulam! Ergóne ob tot labores, ob tanta pericula contemta, ob hostes debellatos, ob spolia & gloriam à tantò amico relatam, seruitus promittitur, eaque *sempiterna?* Autumabam cum Dauide spolia & prædas, titulos & honores diuidendos: expectabam coronas & triumphos: censebam amicitiæ fœdera ineunda: sed, vt video, pro tot meritis, seruitus stabilitur, & seruitus diuturna, immo sempiterna. Ita nimirum oleum & operam perdit, quicumque mundo industriam, laborem, sanguinem, vitam impendit, & heu nimis verè seruit. At non ita Christo seruitur: eum, qui domo, agro, alijsque, quæ possidebat, relictis, sequitur, de seruo fit amicus, cui Dominus omnia communicat,

1. Reg. 27. 12.

municat, consilia, arcana, ipsum regnum cælorum, atque æternorum bonorum hæreditatem; quia amicorum communia sunt omnia. Vsque adeò, vt eos Christus etiam suos *cohæredes* esse patiatur. Quid ni *cohæredes*, si & fratres dignatur appellare? Rom. 8. 18.

## §. II.

### *Pauperes esse non tantùm amicos, sed etiam fratres & familiares Christi.*

Dignatur autem pauperes ita appellare, immo dignabitur ita appellare, coram vniuerso mundo, tunc cùm venerit in maiestate vniuersum mundum judicaturus. Cùm enim interrogabunt iusti: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum? &c. respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quàm diu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Minimi sunt pauperes, miserum & plebeium genus. Hos rex ille, cum summo apparatu & pompa veniens, *fratres* suos vocabit, cùm nihil regio splendori sit magis aduersum, quàm habere *fratres* fame atque egestate pressos; regis *fratres*, regios, atque victu, vestituq; claros esse oporteret. Eruditè Origenes: Quid ais? si fratres tui sunt, quomodo minimos appellas? *Imma verò* Matth. 25. 37. Origen. tract. 34. in Matth.

*ideò fratres, quia humiles, quia pauperes & abiecti. Hos enim maximè ad fraternitatem suam vocat suam, quia ignoti & despicabiles sunt.* Cùm enim seipsos, propter Christum, despexerint, abiecerintque, digni sunt, qui à Christo extollantur. Hæc justitia est, vt nos humiliemus: cùm & Dominus baptismū petens à Ioanne, præ reuerentia cunctans, dixerit: *sine modò: sic enim decet nos implere omnē iustitiam:* prudentia autem est, fugere iniquitatis occasionem. Hinc Propheta ait: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatē; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitiæ, præ consortibus tuis.* Per vnctionem regnum dabatur Hebræis. Regē igitur constituit Deus, quem ideò vngit, quia videt, diuitijs abiectis, fugere periculum iniquitatis, & diligere justitiam humilitatis: vnde *præ consortibus,* qui paupertatem non amant, vngitur; sicut & Christus vnctus est *præ consortibus,* ac fratribus suis; etsi enim & hi regno inaugurati sint, Christi tamen principatus est diuinioris fastigij. Itaq; pauperes non solùm sunt *amici,* sed etiam *fratres,* sed *coharedes* Christi, immo & *reges,* & quidem tales reges, vt eis semper maiorem exhibuerit & amicitiam, & familiaritatem. Quod ostendit

Matth. 3. 15.

Psal. 44. 8.

dit vel cùm ipse reus ageretur, ante Caiphã principem sacerdotum constitutus. Tunc enim cùm & judex, & omne concilium, & duo falsi testes multa contra eum molirentur, *surgens princeps sacerdotum* aiebat illi: *Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Iesus tacebat.* Atque postea etiam ante Pilatum *cùm accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Immò vrgente Pilato & dicente: Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.* Quin & ad Herodem à Pilato missus, tacuit. *Erat enim* Herodes *cupiens ex multo tempore videre eum, eò, quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.* En quantis dominis, & potestatem iudiciariam in eum habentibus non dignatus est loqui? at pauperculo latroni, & in cruce pendenti, ipse in cruce pendens, quàm primùm audijt: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum,* illicò respondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Nimirum *cum simplicibus sermocinatio eius;* quia isti apud eum sunt nobiles, isti eius

Matth. 26. 62.

Matth. 27. 12.

Luc. 23. 10.

Luc. 23. 43.

Prou. 3. 32.

sunt

sunt dynastæ, isti eius amici, fratres, reges; secus ac in sæcularibus aulis fieri consueuit, vbi Principes cum principibus, purpurati cum purpuratis, cum torquatis, & nobilitate claris tantùm volunt sermones miscere. Alios nobiles habuit Christus cum quibus est locutus, cum piscatoribus, cum Zachæo, Matthæo & publicanis pœnitentiam agentibus, cum lachrymante Magdalena; immo cum cæcis, & leprosis in via mendicantibus; quin & cum ipso latrone veniã petente fuit sermocinatio eius. De quo Arnoldus Carnotensis, *Modò*, inquit, *vltrò eloquitur, qui paulo antè ad Herodis & Pilati inquisitiones conticuit; curiositatem & fastum tumentium hominum aspernatus; paupertatis spiritu de patibulo edocet.* Adeò chari sunt Seruatori, quibus argentum non est charum.

Arnold. Carnot. de 7. verbis Domini in cruce.

## §. III.

### *Amorem, & votum paupertatis in primitiua Ecclesia extitisse.*

Hinc non solùm Christus & Apostoli, verùm etiam alij, post eos, amplexi sunt, ingenti numero, ardenti studio paupertatem. Nam in primitiua Ecclesia multi proprietatem & dominium abdicauerunt, etiam ex voto, *nec quisquam eorum, quæ possidebat,*

Act. 4. 32.

*bat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quod sanè fecerunt primi Christiani Hierosolymis dumtaxat, atque ex consilio, non præcepto, vt voluerunt hæretici veteres, ab æmulatione vitæ Apostolicæ *Apostolici* dicti, quos, tempore D. Augustini, secutus est Pelagius, & nunc Anabaptistæ. Contra quos apertè testatur S. Paulus, & S. Ioannes, in alijs Gentium prouincijs, quibus prædicabat Paulus, Christianos, proprias opes & fundos possedisse: nam ex ijs collectas fieri, pro pauperibns Hierosolymitanis, iubebant. Interim multi fuerunt, posteris sæculis, qui heroicum illud Hierosolymitarum exemplum sequebantur. Audierunt enim à Christo & Apostolis illā beatitudinem primo loco collocatam: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cælorum.* Et quidem post sæculum martyrum (qui vtiq; & ipsi opes contempserunt, cùm & sanguinem & vitam ipsam pro Christo profuderint) quod fuit ante Constantinum Imperatorem, postea sub Constantino, in pace Ecclesiæ, successit sæculum Monachorum & Anachoretarum, quorum dux & antesignanus fuit S. Antonius. Huius vitam à se concinnatam S. Athanasius secum Romam

2. Cor. 8. & 9.
1. Ioan. 3. 17.
Matth. 5.

mam detulit; eaque multos Romanos fla-
uites & potentes ita commouit, vt eam &
ipsi vellent imitari. Inter quos prima fuit
Marcella, teste S. Hieronymo. Quæ vt, per
spontaneam paupertatem, terrenarum re-
rum amore extincto, diuino rerumque ca-
lestium amori locum faceret, etiam sibi dic-
tum putauit, quod postea ad Hedibiam D.
Hieronymus in hæc verba scripsit. *Vis esse*
*perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis?*
*fac, quod fecerunt Apostoli: Vende omnia, quæ*
*habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem,*
*vt nudam solamq; crucem nuda sequaris & so-*
*la. Non vis esse perfecta, sed secundum vias te-*
*nere gradum virtutis? dimitte omnia quæcunq;*
*habes, da filijs, da propinquis.* Hoc Hedibiæ
suasit S. Pater, illud S. Spiritus S. Marcellæ
persuasit.

S. Hieronym. in Epitaphio S. Marcellæ.

Idem ep. 150. ad Hedibiã.

## §. IV.

### *Gallicani, Alexij, Calebytæ, Paulini, Paulæ, & Pammachij voluntaria paupertas.*

Sub idem tempus Gallicanus Constantiæ sponsus, & Constantini Magni gener destinatus, ac Romanus Consul, amore Christi Seruatoris, mundo nuncium remisit, relictisque omnibus, ad Ostia Tiberina, hospitale ædificauit, in quo ipse pauper pauperibus

fibus & ægris seruiebat: vtque altiorem coronam mereretur, postea à Iuliano Apostata occisus, paupertatis studium martyrij laurea condecorauit. Quæ eloquentia satis laudauerit Alexium Euphemiani senatoris filium? qui Romæ sub Honorio Imperatore, patricius sanguis, indolem, ingenium, opes, iuuentutem, virtutem cum nobilitate coniunxit, honestissimo insuper connubio beatus, sponte tamen ipsâ etiam sponsâ intactâ primâ nuptiarum nocte, omnia reliquit; atque ita reliquit, vt distributis, quæ habebat, in pauperes, de die in diem viueret; &, post septemdecim annos in Syria consumptos, in patria exularet, inter notos ignotus, in suis opibus inops, domi non domi, seruorumque suorum ludibrium; parentibus tandem venerandus, mundo admirandus, æqualibus imitandus. Nam & Ioannes Calybita, Romæ sub Imperatore Leone, in paternæ domus angulo pauper latitauit, nec ante mortem à parentibus est agnitus, in quo itidem virginitas & paupertas de palma certauerunt. Sed his etiam annumerandus, ob paupertatis amorem, S. Paulinus, ex Consule Romano monachus, tandemque creatus Episcopus Nolanus. In primis

Petrus in Catal. l. 6. c. 107. Sur. 17. Iulij.

Nicephr. l. 15. hist. c. 23. Sur. 15. Ian.

primis autem D. Hieronymus, qui cum S. Paula in Bethlehem seceſſit, secumq; trai magnam nobilitatem Romanam, quæ pau pertatem insigniter nobilitauit. Cuius S. Paula admodum fuit studiosa, atque omne fortunas suas, quæ erant ampliſſimæ, ita ut egenos distribuit, vt neque obolum sibi re linqueret, & in aliena sindone sepeliri pe optaret: quod & euenit, nam aliena veſte, sua virtute tecta, est sepulta. Matrem secut est filia Eustochium, & ceteræ. Quin & ge ner Pammachius, qui itidem Consul Roma nus, fascibus depositis monasticen ample xus est, domumque suam in Ecclesiam con uertit, quæ etiamnum titulo S. Pammachij inscripta visitur, & nuncupatur S. Ioannis & Pauli. Hunc idem, qui amore paupere tatis inflammauit, S. Hieronymus dignis etiam laudibus extulit. *Nobis*, inquit, *post dormitionem somnumq; Paulinæ* (vxoris Pammachij) *Pammachium monachum Ecclesia peperit Posthumum, & patris & coniugis no bilitate patritium, eleemosynis diuitem, humi litate sublimem.* *Et paulò pòst: Quis hoc cre deret, vt consulum pronepos, & Furiani germi nis decus, inter purpuras senatorum furua tunica pullatus incederet, & non erubesceret*

S. Hieronym. ep. ad Pammachiū.

oculos

*oculos sodalium, vt derideretur? Lucet margaritum in sordibus, & fulgur gemmæ purissimæ etiam in luto radiat.* Ac rursus: *Nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, miratur orbis pauperem, quem hucusque diuitem nesciebat, &c. Parua dimisimus, & grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur.* Hæc Romani fecêre: & pluribus verbis in Pammachio S. Pater prædicauit.

## §. V.

### *S. Ioannis Eleemosynarij excellens paupertas.*

Quantùm amata sit paupertas à Ioanne Eleemosynario, vel è paucis ostendam. Audierat quidam opulentus & liberalis dominus, eum exiguis admodum ac vilibus operimentis in cellula sua vti, reiq; experiendæ caussa in rem præsentem venit. Vbi vidit lodicem & vetustam, & scissuris laceratam, aliam ei triginta sex nummis emtam misit, rogitans etiam atque etiam, vt ea in mittentis memoriam vteretur. Accepit munus cum actione gratiarum, & vnica nocte se meliùs tegens, peiùs dormiuit. Nam ea tota nocte, qui ei à cubiculis erant, audiebant eum ita secum loquentem, *Quis*

Leontius in vita Ioa Eleemosynarij. cap. 20.

dicit, quòd humilis Ioannes (habebat enim semper verbum istud in ore) pallio triginta seu numismatum tegatur, & fratres Christi frigore necentur? Quanti sunt modò, qui dentibus stridentpræ glacie? quanti sunt modò qui psathum (tegetem siue stoream ex iunco aut papyro confectam, qua pro lecto & stragulo vtebantur monachi Ægyptiaci) habentes, subtus dimidium, & supra dimidium & non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt vt glomus, trementes? Quanti in monte dormierunt incœnati, & sine lucerna, habentes duplicem cruciatum, tam ex frigore, quàm ex iciunio? Quanti desiderant saturari de foliis olerum, quæ proiciuntur de coquina mea? Quanti vellent tingere panem suũ in Zemate, (id est, fermento, aut fæce, vel iactura aquarum in qua carnes sunt coctæ) quod proiciunt coqui mei? Quanti cupiunt vel odorari vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in ciuitate ista, in hac hora, peregrini, non habentes vbi hospitentur? & in foro iacent, fortasse & pluuia madefacti? Quanti, putas, habent totum mensem, vel etiam duos, non gustantes oleum? Quanti sunt, qui non habent alterum vestimentum, in æstate, & alterum in hieme, & ita miseriis affliguntur? Tu verò expectans etiam usq.

am eternam iucunditatem assequi, & vinum bibis, & pisces immanes deuoras, & in cubiculis demoraris: modò autem cum omnibus malis, & in coopertorio triginta sex numismatum te calefacis. Veraciter ita viuens, & in tali laxatione conuersans non expectabis illic præparatis gaudijs frui, sed audies vtique, quod & diues ille audiuit: Recepisti bona, in vita tua, pauperes verò mala: nunc ergo consolantur, tu verò cruciaris. Benedictus Deus, humilis Ioannes alia nocte non cooperietur illo. Iustum est enim, & bene acceptum Deo, vt tegantur centum potiùs quadraginta quatuor fratres, & DOMINI tui, quam tu, infelix. Venumdabantur enim quatuor rachanella (seu panniculi) numismate vno. Mox ergo transmisit illud in crastinum, vt venumdaretur. Et videns is, qui obtulerat, emit illud triginta sex numismatibus, & rursus obtulit Patriarchæ. Cùm verò in crastinum vidisset illud, emit hoc similiter, & rursus obtulit Patriarchæ deposcens, vt tegeretur ab eo. Cùm autem tertio hoc fecisset, dicit ei gratulabundus ille sanctus: Videbimus, quis deficiet, ego, an tu. Erat enim opulentus valde, & suauiter quasi vindemiabat eum ille sanctus, paulatim ab eo multa auferens: & dicebat semper, quòd posset aliquis intentione dandi pauperibus

*expoliare diuites, & ipsum etiam hypocamisum* (seu vestimentum, quod subtus camisiam est) *ab eis benevolè auferre, & non peccare: & maximè si sunt aliqui immisericordes & avari. Duo enim lucratur talis: vnum quidem quia animas illorum seruat; alterum autem, quoniam & ipse ex hoc mercedē non modicam habet.* Hucusque Leontius Neapoleos Cyprorum Episcopus, veram voluntariæ paupertatis effigiem, immò & liberalitatis nobis, in tanto Patriarcha, ante oculos ponens, Siquidem, Hieronymo teste, *optimus dispensator est, qui sibi nihil reseruat.*

S. Hieronym. in ep. ad Nepotian.

## §. VI.

### *Agathonis, Antonij, & aliorum paupertas.*

In vit. PP. lib. 3. cap. 71.

Hinc, vt Ruffinus ait, *cùm quidam vir rogaret Abbatem Agathonem, vt pecuniam illius susciperet in propria ratione, nolebat ille, dicens: Non est necesse mihi, quia opera manuum mearum me pascunt. Cùm autem ille persistens diceret: Vel propter indigentes dignare suscipere; respondit: Duplex verecundia est, quia non indigens suscipio, & aliena præstans, vanæ gloriæ subiacebo.* Fuit nimirum Agatho Paulini exempli successor, cuius est illud monitum: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Fuit & memor illius oraculi:

1. Tim. 6. 8.

culi: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13.
Quod S. Antonius in hunc modum ostendit, in eo, qui pecuniæ quàm non perfectus contemtemptor esset, retenta parte, declarauit. *Frater quidam renuncians sæculo, & dans, quæ habebat, pauperibus, retinens autem pauca in sua ratione, venit ad Abbatem Antonium. Quod cùm agnouisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vicum, & eme carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni huc. Et cùm sic fecisset frater ille, canes & aues corpus eius lacerabant. Cùm peruenisset autem ad senem, interrogauit, si fecisset, quod ei dixerat. Illo autem ostendente corpus suum laceratum, dixit S. Antonius: Qui renunciant sæculo, & volunt habere pecunias, ecce ita impugnati à dæmonibus discerpuntur.* Mira ergo & misera res est, si qui profitetur, se pecuniam abiecisse, pecuniam sectatur religiosus, atque illis rebus inhiat, quas censuit abdicandas. Vnde D. Hieronymus, *Possideant opes,* inquit, *sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant; & suspiret Ecclesia diuites, quos tenuit mundus antè mendicos. Nepotianus noster aurum calcans, schedulas consectatur: &, sicut in carne sui contemtor est, & paupertate incedit ornatior, ita totum* Ruffin. l. 3. c. 68.

*animæ inueſtigat ornatum.* Quare eumdem ſuperiùs ſic laudat: *Nepotianus baltheo poſito habituq; mutato, quidquid caſtrenſis peculij fuit, in pauperes erogauit. Legerat enim: Qui vult perfectus eſſe, vendat omnia quæ habet, & da pauperibus, & ſequatur me. Et iterum: Non poteſtis duobus dominis ſeruire, Deo & mammonæ. Excepta vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantùm corpore frigus excluderet, nihil ſibi ampliùs reſeruauit.*

## §. X.

## *Arſenij, Mæſimæ, Iuliani, & aliorum Anachoretarum paupertas.*

Heribert. Roſvveid. in vitis PP. lib. 5. n. 5. libell. 6.

Pluribus experimentis teſtatum eſt, quantum poſſit diuinæ amor paupertatis. *Ægrotauit aliquando Abbas Arſenius in Scithi, & opus habuit in neceſsitate ſua vſq; ad vnam ſiliquam nummi. Et cùm non inueniret, accepit à quodam velut eleemoſynam, & dixit: Gratias tibi ago, Domine, quia me dignum feciſti, nomine tuo, ad hoc peruenire, vt egens eleemoſynam poſtularem.* Gaudent nimirum Chriſti imitatores ijs rebus ſe ſpoliari, quibus alij ditati exultant. Quin & centonibus magis triumphant milites ſacri, quàm profani in paludamentis. Qua de cauſſa Mæſimas neque tunicam voluit, neque cilicium mutare, ſed

Idem ib. l. 9. c. 43.

ijs,

ijs, quæ in eis fiebant, rupturis pannos assuens, senectuti remedium attulit. Iulianus autem senex, circiter annos septuaginta, in quodam breui spelæo moratus, nihil omnino sæculi istius, præter cilicium, & sagum, & vasculum ligneum, & librum possidebat. Hæ diuitiæ fuerunt, & tota supellex Iuliani. Miri etiam author exempli fuit, in hoc genere, Aphraates, qui *nihil vmquam omnino accepit ab aliquo, non panem, non obsonium, non vestem, sed vnus solus ei notus panem suppeditabat. Cùm autem vsq; ad profundum processisset senium, post occasum solis, vescebatur oleribus. Aiunt autem Anthemium, qui postea fuit & Præfectus, & Consul, cùm electus legatus profectus est ad Persas, ad eum attulisse tunicam apud Persas contextam, & dixisse: Cùm scirem vnicuiq; suam dulcem esse patriam, & qui illic nascuntur fructus esse iucundissimos, hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogoq; vt tu eam accipias; ego verò sim tuæ benedictionis particeps. Is autem eam quidem primùm iussit poni in subsellio: deinde cùm multi fuissent interiecti sermones, dixit se angi animo, vtpote quòd sit in duas partes diuisa cogitatio. Illo autem rogante caussam, semper, inquit, constitui habere vnum solum, qui mecum habitaret, mihiq;*

Ibid. libr. 10. cap. 51.

Ibidem. l. 9. c. 8.

*ipsi hanc legem imposui, ut mihi omnino denegetur duorum simul habitatio. Cùm ergo unus mecum jam sedecim annis habitasset, & esset mihi cordi, accessit quidam meus contribulus, volens mecum habitare, & rogans, ut hoc sibi liceat. Hoc mihi mentem distrahit: duos enim simul habere non patiar. Contribulem enim amplector, ut contribulem. Priorem autem, ut qui mihi cordi fuerit, expellere, & graue, & iniquum existimo. Ille verò, Meritò, inquit, ô pater, neq; enim fas est, ut eum, qui tibi plurimo tempore inseruijt, amandes, tamquam non aptum; eum autem cuius morum nondum fecisti periculum, propter solam admittas patriam. Ad hæc diuinus Aphraates: Non accipiam ergo, inquit, ô vir admirande, hanc tunicam; duas enim habere non patiar. Est enim mea quidem sententiâ iucundior, tua verò melior eâ, quæ mihi tanto tempore inseruijt.* Ad hunc modum veterem ac detritam tunicam suam noua repudiata retinuit Aphraates, non imperitior in docenda, quàm seuerior in exercenda paupertate magister. Ac sanè plures in huius virtutis schola, discipuli excelluerunt, quibus fiducia in Deum, præ omni pecunia, aut re alia fuit. Qualis & ille fuit, cui Patriarcha Ioannes Eleemosynarius centum numismata dare

Leontius in vita S. Io. Eleemos. c. 23.

da dare voluit. *Dei autem amicus ille verè monachus, non passus aliquid accipere ex eis, dignum memoria verbum ad Patriarcham locutus est dicens: Ego hoc non postulo, Domine; Monachus enim si fidem habet, horum non indiget: Si autem horum eget, fidem non habet.* Quo audito, S. ille Præsul tantò impensiùs monachos posthac honorauit, multoque maiore animi affectu hospitio excepit.

## §. XI.

### *Religionum fundatores, quanti fuerint amatores paupertatis?*

Paupertatem suam in eminens, & nostro quoq; sæculo imitandum perduxerunt fastigium S. Basilius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, & alij quàm plurimi. S. Franciscus hanc virtutem vsque adeò censuit esse adamandam, vt eam quasi sponsam sibi suisq; etiam desponsârit. Et sæpe à fratribus rogatus, *Quanam virtus maximè nos Christo commendaret, gratosq; faceret?* cum iubilo respondit: *Paupertas, hæc est enim via salutis, humilitatis fomes, perfectionis radix, quæ fructus nobilissimos, eosq; multiplices producit, sed occultos, & paucis cognitos.* Huius virtutis amore inflammatus, Romæ ad SS. Petri

& Pauli sepulchrum, cum lachrymis supplicans, vt se se thesauro paupertatis instruerent, meruit eos, velut viuos intueri, qui eum addito osculo salutantes dixerunt: *F. Franciſce, quia hoc petis, quod Chriſtus & Apoſtoli ſeruarunt, certiorem te reddimus, tuũ deſiderium eſſe exauditum. En theſaurus ſanctæ paupertatis tibi tuisq; aſſeclis perfectè concedetur: ac quicumq; eum capeſſent, de regno beatitudinis erunt ſecuri, & à Domino benedicti.* Hinc idem dictitabat. *Pauper eſt typus Chriſti, qui propter nos egenus factus eſt, vt nos ſua impia diuites efficeret. Qui ergo pauperi maledicit, Chriſto maledicit. Ex aduerſo pecunia ſeruis Dei non eſt aliud, quam diabolus, & coluber venenoſus.* Qua de cauſſa idem S. Franciſcus fratribus ſuis, pro viatico, illum verſiculum dare ſolebat: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Poſſem hîc adducere domeſtica, de S. Ignatio, de S. Franciſco Xauerio & Borgia, de Petro Fabro, de Roderico, de Meneſio, de Barcæo, de Gonzaga & alijs, qui heroica virtutis iſtius facinora ediderunt, ſed alius ſibi hos pauperes locus vendicat; neque vmquam ex hac ſilua emergerem, ſi velem ſingulos vel ſtrictim attingere.

Pſa. 54. 23.

§. XII.

## §. XII.

*Sanctarum feminarum paupertas.*

Alterius tamen sexus, & minoris quoque ætatis libet, in hac laude, mentionem non omittere. Ac ne Marias Ægyptiacas, solo capillitio pallij instar tectas, & radicularum esu pastas; Melanias Romanas immensarum opum contemtrices; Macrinas Gregorio Nysseno fratre dignas, similesque innumeras è cælesti gynæceo huc conuocem, paucis contentus ero. Birgitta vidua à Bonifacio IX. Pontifice Maximo in numerum Sanctorum relata, ac reuelationibus multis illustrata, humilitatis pariter ac paupertatis magistra fuit. *Paupertas voluntaria adeò illi cordi fuit, vt omnes res & facultates suas cuidam commiserit dispensandas: & quoties aliquid inde vel in suos, vel aliorum vsus conuerti cuperet, cum summa humilitate, in nomine IESV Christi id sibi dari petierit, perinde ac si numquam eas possesedisset. Solebat autem, in eiusmodi petendis rebus, aliorum, qui cum ipsa erant, vtilitatem sua anteferre, & propriam celans indigentiam, orare, vt illis præberentur necessaria, licet ipsa plus ceteris ijs careret, vt sic proximum purè diligeret propter Deum.* Duo vtilissima hinc fluunt documenta, charita- Sur. 23 Iulij.

tis

tis vnum, paupertatis alterum. Si enim tantus fuit paupertatis amor, vt vidua hæc sanctissima, vel sua, *in nomine IESV Christi* peteret, cur quidam erubescunt, in eodem nomine petere stipem alienam? Gloria ei, non dedecus, Christi caussa fieri mendicus. Deinde, etsi sit ordo charitatis, vt à nobis ipsis incipiamus, quibus plus quàm alijs debemus, in rebus id spiritualibus est intelligendum, aut omnino ad vitam necessarijs: ea autem, quibus carere possumus, ventri negare, atque alijs potiùs concedere, non est charitatem offendere, sed carnalitati anteponere. Periculosa enim est charitas, cuticulam propriam curare; certa, succurrere alterius necessitati. Reddam hic etiam debitum Elisabethæ testimonium, quæ præclarâ Christianaque operâ, vetustate familiæ suæ dignissima, posteris meritò venit suspicienda. Fuit ea Andreæ secundi Pannoniæ regis filia, & Ludouico Landgrauio Turingiæ Principi enupta, quæ inter opes luxumque sæcularis potentiæ, neque opibus, neque luxu afficiebatur. Quoties ei domi, atque inter domesticos parietes licebat, vilissimum sumebat amictum, moresque ad paupercularum normam, quoad po-

Conrad. in vit. eius. Fulgos. lib. 4. tom. 4. Marul. lib. 1, c. 8.

terat, componebat, dictitans, haud aliter se victuram, si quando, extra alterius arbitrium, sibi degere à Deo concederetur. Illud sanè solenne illi erat, vt quoties ad templū iret, non nisi inter infimæ sortis feminas considendi locum caperet; in oculis omniū professa, desiderare se in illarum numero esse, quarum consortium tam studiosè ambiret. Quare marito per mortem ablato, quidquid possedit, inter pauperes distribuit: & quia opes non magni æstimabat, parui æstimauit fortunas duntaxat se Christi amore impendisse, se etiam seruitio miserorum consecrauit. Hanc ob caussam amplum diuersorium ædificauit, in quod grandem pauperum ægrotantium turbam congregauit, cui ipsa, nouâ Martha, diligenter ministrauit. Ab hoc tam pio, sed, vt putabatur, nimis abiecto munere, voluit eam parens in Pannoniam reuocare. Sed illa gnara æstimare pretium paupertatis, regno inopiam præposuit, sceptro quouis judicans pretiosiorem esse Christi seruitutem. Ob quam virtutem eam Deus inter sanctos suos esse voluit, clarissimisque miraculis, per eam patratis, testatus est, eam rectè atque sapienter egisse. *Quia melius est modicum iusto,* Psal. 36.

*super*

In vita S. Euphrasiæ, apud Rosvveid. l. 1. vit. SS. PP.

*super diuitias peccatorum multas.* Euphrasia, pietatis odore tracta, sæpius quoddam cœnobium sacrarum virginum visitare solebat. *Quodam die rogabat Abbatissam & priores monasterij dicens eis: Paruam benedictionem vobis absq; terrore vestro præbere, redditum auri viginti, aut triginta librarum, vt oretis pro ista famula vestra, & pro Antigono patre eius.* Cui *Abbatissa respondit: Domina mea matrona, ancillæ tuæ non egent redditibus, neque pecuniam concupiscunt. Propterea namq; omnia reliquerunt, & cuncta despiciunt in hoc sæculo, vt æternis bonis frui mereantur: & nihil possidere volunt, ne cælesti regno priuentur.* Verè virilis & generosi animi femina, quæ dum possessiones potuit contemnere, Deum possedit. *Generosi enim magniq; animi est, nihil admirari, præter Deum*, ait S. Cyprianus.

## §. XIII.

### *S. Claræ paupertas.*

Huic heroidi par fuit S. Clara, quæ cùm esset nobilis & opulenta, sua omnia distribuit in pauperes, Ordinemque pauperum Religiosarum instituit. In qua *paupertatis spiritus, quæ vera humilitas est, & paupertatem rerum omnium conueniebat. Primus*, inquit author vitæ iussu Alexandri Pontificis Maximi

Sur. 12. Augusti cap. 9.

ximi conscriptæ, *in sua conuersionis initio, paternam hæreditatem quæ ad eam peruenerat, distrahi fecit, sibiq; de pretio nihil reseruans, totum pauperibus erogauit. Hinc, sæculo foris relicto, mente intus ditata, post Christum, sine sæculo, exonerata, percurrit. Tantum deniq; cum sancta paupertate fœdus iniit, amoremq; contraxit, vt nihil, præter Dominum IESVM, vellet habere, nihil filias suas possidere permitteret, nil propter necessarium victum & vestitum à sororibus recipi, vel in posterum asseruari. Nequaquam cælestis desiderij margaritam, quam, venditis omnibus, comparârat, arbitrabatur cum temporali, mordaci solicitudine possidendâ. inculcat illud frequenti sermone suis sororibus, tunc acceptabile Deo illud fore collegium, cùm paupertate fuerit opulentum: & tunc perpetuò stabile permansurum, si altissimæ paupertatis fuerit semper turre munitum. Hortatur eas in paupertatis nidulo Christo pauperi conformari, quem pauperecula mater in arcto præsepio parvulum reclinauit. Hoc enim peculiari reconditorio quasi monili aureo suum subornabat pectus, ne terrenorum puluis ad interiora transiret. Volens denique religionem suam intitulari titulo paupertatis, à bonæ memoriæ Innocentio Tertio paupertatis priuilegium postulauit. Quis*

vir magnificus tanto Virginis feruori congratulans singulare dicit esse propositũ, quòd numquã tale priuilegium fuerit à Sede Apostolica postulatum, & vt insolitæ petitioni fauor insolitus arrideret, Pontifex ipse, cum hilaritate magna, petiti priuilegij primam notulam sua manu conscripsit. Felicis recordationis Papa Gregorius, vir sicut Sede dignissimus, ita & meritis venerandus, paterno affectu sanctam istam arctiùs diligebat, cui cùm suaderet, vt propter euentus temporum, & pericula sæculorum aliquas possessiones assentiret habere, quas & ipse liberaliter offerebat, fortissimo animo restitit, & nullatenus acquieuit. Ad quam respondente Pontifice, si votum formidas, nos te à voto absoluimus: Sancte pater, ait, nequaquam à Christi sequela in perpetuum absolui desidero. Eleemosynarũ fragmina, panumq; minutias, quas Eleemosynarij deportabant, valde suscipiebat hilariter, & quasi mœsta de panibus integris, valde exultabat in fragmentis. Quid multa? satagebat pauperi Crucifixo paupertate perfectissima conformari, vt nulla res peritura amantẽ ab amato secluderet, aut cursum eius cum domino impediret. Occurrunt ecce duo miranda, quæ paupertatis amatrix meruit operari. Vinum erat in monasterio panis, cùm iam instarent & fame,

fames, & hora edendi, dispensatrice vocata, iubet sancta panem diuidere, partemq; fratribus mittere, partem pro sororibus retinere. De quo retento dimidio iubet quinquaginta fieri, iuxta dominarum numerum, incisuras, & eis in mensa paupertatis apponere. Cui cùm deuota filia responderet, necessaria hîc fore antiqua Christi miracula, vt modicum panis 50 reciperet sectiones, respondit mater, & dixit: fac filia secura, quod dico. Properat filia matris implere mandata. Properat mater ad Christum suum pia, cum filiabus, destinare suspiria. Crescit diuino munere inter frangentis manus parua illa materia, & cuilibet de conuentu suo extitit portio copiosa. Die quodam Christi ancillis sic ex toto defecerat oleum, vt nullum adesset, saltem pro debilibus condimentum. Accepit Domina Clara vasculum vnum, & humilitatis magistra suis manibus lauat, ponit vas vacuum seorsim, vnde frater Eleemosynarius illud accipiat, & vocatus est ipse frater, vt pro acquirendo oleo vadat. Accelerat deuotus frater, vt succurrat inopiæ tantæ, & adsumendũ vasculum currit. Non enim volentis est, neq; currentis, sed miserentis Dei. Etenim solo influente Deo, vas illud plenum oleo reperitur, præueniente S. Clara oratione fratris obsequiũ, in solamen pauperũ

*filiarum. At verò frater prædictus, quasi frustra vocatus fuisset, submurmurans dixit: derisoriè me istæ fœminæ vocauerunt, cùm ecce vas plenum existat.* Verùm non fuit ea derisio, benedictio diuina fuit, quæ ostendit, vltroneam inopiam esse copiosam.

## §. XIV.

### *S. Catharina filia S. Birgittæ honoratu diuinitas paupertas,*

His auditis, quis virginem hanc Claram non vocet? claruit miraculis, & paupertate, quam virtutem, in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque virorum ac mulierum, in quibus luxit, ornamentum iudicat. Cui rei confirmandæ Deus aliud prodigium ostendit. Sanctissima virgo pariter & vidua Catharina, filia S. Birgittæ, paupertatis & vestium vetustate fatiscentium, lectulique, quali vel egentissimi vtuntur, amans, à sponso Christo ita est condecorata. *Cùm aliquando quædam nobiliores Romanæ matronæ peterent à matre eius, vt permitteret ei, cum ipsis animi caussa extra muros egredi, idq; ob illarum insignem probitatem mater annueret, vbi ad vinearum macerias ventum fuit, viderunt q; matronæ*

Sur. 22. Martij. c. 11. & 12.

*horros*

botros vltra macerias propendere ; rogabant S. Catharinam, vt illos botros ipsis decerperet. Erat enim procera corporis statura, praeter alias egregias vtriusque hominis dotes, quae eam cunctis reddebant amabilẽ. Illa verò studio paupertatis iam manicas habebat attritas, & consutas, neq; verebatur, apud tantas matronas vilis, & inops videri. Itaq; extendit brachia vt vuas carperet: & ecce matronae illae videre sibi visa sunt brachia eius purpura magni pretij operta. Accedunt igitur, prae multa admiratione, tanguntq; singulae, cernuntq; manicas insigni purpura rutilantes, aiuntq; ad eam: Quis vmquam crederet, domina Catharina, tanti pretij vestibus vti te voluisse? Ignorabant enim Christũ cohonestasse sponsam suam. Testabatur haec familia, quae his interfuerat, itemq; sanctae memoriae magister Petrus, eius confessarius. Decubuit quandoq; S. Virgo, petijtq; ab eius matre eam inuisendi copiam quidã nobilis Baro, Ludouicus nomine. Erubuit verò familia quòd vir tantus ad eam in vili lectulo iacentem esset accessurus. Erat is lectulus straminеus, ad caput ceruical exiguum: porrò operimentũ vetustum consumtum, ac nullius panè pretij. Sed Dominus IESVS, qui sua inopia seruorum voluntariam paupertatem maximè illustrem reddidit, non

*defuit sponsæ suæ. Cùm enim potens ille, & opulentus vir multis stipatus ad eam accessisset, videbatur ei lectulus illius aureo purpureo tectu operimento. Stupens igitur dixit famulis suis: Hæ dominæ pauperes ab omnibus putantur: nam sæpe ob res necessarias emendas, pecuniam mutuò accipiunt. Præstaret, illas tanti pretij purpuram, tantumq; apparatum, quem illic vidimus, distrahere, quàm premi inopia.* Ita nimirum Deus pauperculæ suæ inopiam vel honestare voluit, vel occultare, vt noua corona patientiæ ornaretur; dum Virgo vidua, in vili lectulo, immò stramine decumbens, in purpura iacere putaretur; & medulla humilitatis, pro superba habita, magis humiliaretur. Siquidem *inter alias virtutes, quarum celebri opinione apud omnes mirificè redolebat, erga domesticos, & qui eam iniuria afficerent, S. Virgo egregiam semper animi patientiam declarabat. Accuratè enim secum perpendit, si quid à nobis bene gestum sit, id facilè redigi in nihilum, si sit animus patientia destitutus. Vt igitur solent odores, tum latiùs spargi, cùm commouentur: ita hæc S. Virgo, iniurijs, & persecutionibus infestata, præcipuam exhibebat patientiam: haud aliter quam qui eam affecisset beneficio, diligens eos, à quibus offensa fuisset.*

*fuisset. Vtrùm autem vera quis sit humilitate præditus, tum potest intelligi, si placidè ferat iniuriam.* Hæc humilitas à Deo etiam in hac vita fuit exaltata; in qua etiam patuit, quàm magna sit vilis vestimenti, & exigui lectuli voluntariè pauperum, in oculis Dei, pulchritudo; quidque in altera vita sperandum sit ijs, qui futura ita nôrunt sperare, vt præsentia possint spernere. Si enim tantus honor est belli, quanta erit gloria triumphi?

## §. XV.

*Pueri admirabilis amor paupertatis.*

Sed à puero quoq; discamus contemtum pecuniarum. Nam vt etiam viri ab hac ætate audirent, picem tutiùs tangi, quàm monetam, complures de puero Toraltano scriptores meminerunt, præsertim autem Meyerus, in Annalibus Flandricis. Oppidum est quoddam Flandriæ, Thorouth dictum. In eo, circa Annum Seruatoris 1220. puer fuit, Achas nomine; honestis pariter & copiosis parentibus ortus; ætate quintum annum nondum excedebat, prudentia autem atque pietate, etiam quemuis ex adultioribus superabat. Nisi membrorum, & totius corporis exilitatem vidisses, puerum esse negas-

Meyer. in Annal. Flandr. An. 1220. Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 28. §. 2. Molan. in natal. SS. Belgij, die 11. Iunij.

negasses, tanta erat in eo morum dignitas. Oculos incedentis modestia deorsum flectebat; manus sursum tollebat pietas orantis; pedes ambulantis matura grauitas, linguam loquentis ipsa Suada regebat; denique in toto vultu gratiæ videbantur habitare. Hic tantillus puisio, quàm primùm in aspectum venit Fratrum minorum, cœpit igniculos persentiscere, Ordinis eius, quà posset, imitandi. Quare non desijt antè parentes precibus, lachrymis, gemitu fatigare, quàm ab eis obtineret, vt simili amictu vestiretur. Annuerunt illi tandem, & puerile desiderium esse existimantes, cum tempore, putauerunt abiturum. Verùm longè aliter res accidit. Nam cum tempore desiderium creuit, immò & studium. Quod parentes, & vicini manifestis argumentis cognouerunt. Cœpit enim Achas non iam habitum tantùm, sed etiam reliquos eorum Religiosorum mores consuetudinesque ad amussim obseruare. Itaque & cucullatus procedebat, & nudis pedibus, quamuis frigus esset, & lumbos nodoso duroque funè stringebat. Sed, ante omnia, argentum & aurum maximopere fugiebat tangere. Diebus sollemnibus, vicinorum pueros vndiq; in plateis conuo-

conuocabat, inque eorum medio sedens, concionabatur, moresque singulorum examinabat accuratissimè; si distorti essent, si pertinaces, si superbi, nimisque vestibus culti, aut inuerecundi, arguebat eos, propositis inferorum supplicijs: si modesti, si ad pietatem proni, cælestem illis gloriam promittebat. Quin & orare docebat ignorantes, atque crucem formare, genuaque ad Deiparam salutandam flectere. Dum hæc talia publicè gereret, non rarò ipsi quoque senes cum filijs suis confluxerunt ad illum, mirificeque verbis & factis illius delectabantur. Quin adeò censuit officij sui esse, vbiq; causam Dei agere, vt ausus sit ipsos quoque suos parentes monere, si quando viderentur delinquere. Nam & patri temerè iuranti, aut iusto plus bibenti, aliudué indecens quiddam admittenti flens dicebat: *Pater charissime, numquid Presbyter noster, in Ecclesia dicit, quia qui talia agunt regnum Dei non possidebunt?* Matri, quodam festo die, cùm Sidonium in morem vestes ostroque auroque rigentes gestaret, in templo, coram considentibus, mœrens, & suspirijs intermixtis dixit: *Intuere, mater, intuere, & videas Dominum nostrum IESVM Christum nudum in*

*cruce pendentem, Sanguine rubricatum, & tu te in contumeliam eius vestibus scarletico adornasti? Caue, mater, caue charissima, ne pro rubore vestium pœnas ignis infernalis incurras.* Hæc paruulus Franciscanus: nec sine fructu. Mater enim quàm primùm domum redijt, purpuram abiecit, neque ampliùs, vt eam resumeret, potuit induci. Hunc paupertatis amorem non tantùm in suis, & maternis vestibus ostendit, sed maximè omnium in pecuniarum detestatione. Diuerterant aliquando in paternam domú quidam Negotiatores. Ibi viderunt pusionem cucullatum, nihil leue, aut puerile tractantem. Mirati in aliena ætate maturitatem, parentes eius interrogârunt, quid rei id esset? Aiunt parentes, vnico alloquio Fratrum minorum, puerum ita captum esse amore Ordinis illius æmulandi, vt ex eo tempore, numquã destiterit facere, quæ ab illis fieri animaduertisset. Quin adeò in eo vitæ instituto tenacem, vt pecuniam magis horreret, quàm anguem attingere. Quod postquam iocosi hospites intellexerunt, nummum, clam puero, poculo, ex quo bibebant, indidêre; idque, quod vini infundo supererat, iussêre puerum ebibere.

Paret

Paret ille, sed exhausto vino, nummum reperit. Ibi, quasi cacodæmonem ipsum reperisset, ita horrendis modis cœpit exclamare, proiectoque in terram vase, oculos & manus in cælum tendens, atque vberrimè lachrymans dixit: *Tu nosti, Deus omnipotens, quòd inscius Ordinem meum violaui.* Optarem pari dolore affici multos, qui scientes volentesque ordinem suum violauerunt! Nam cum dicto Achas toto vultu expalluit, omnibusque membris cœpit contremiscere; ac mox quasi ex tempore moriturus, redeunte sanguine copiosiore, tota rursus facie denigratus est. Territi sunt hospites, expauerunt parentes; Pater properè acciuit sacerdotem, qui puero absoluto manum imponens, dolorem mitigauit. Tantus erat horror pecuniæ tangendæ. Sed non ita diu postea superuixit: nondum enim expleto ætatis septennio, *consummatus in breui* Sap. 4.
*expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Eo sanctissimè defuncto, tunica, qua ægrotantis corpus tegebatur, repentè disparuit, à nullo postea vmquàm visa; quippe quam Angeli cum anima illius Deo præsen-

tauerunt. Inter alia mira, quæ mortem eius sunt secuta, fuit, quòd parentes eius ita commoti sint filij exemplo, vt & ipsi, spretis rebus omnibus, mundo nuncium remiserint, & pater quidem in Ordinem Dominicanorum, mater autem Cistertiensium, vno tempore, intrantes docuerint, virtutem non tantùm à parentibus in filios, sed etiam à filijs in parentes posse propagari.

## §. XVI.

### *Mechtildis & fratris eius, regiæ sobolis, admiranda studia paupertatis.*

Prætermissis alijs numero carentibus, agmen claudant, qui sanguine regio, ætate iuuenili, virtute plus quàm heroica admodum clari, meritò alios rapere possunt ad imitationem, contemtumque diuitiarum, & amorem paupertatis. Mechtildis filia regis Scotiæ quatuor fratres numerauit, è quibus vnus Dux, alter Comes, tertius Archiepiscopus, omnes diuitijs abundantes, quibus tamen inopiam sponte antepoſuerunt. Nam Dux, Christi imitandi amore, vxore relicta, spretisque Mundi illecebris, pauperrimus exulauit. Comes sæculari pompæ vitam eremiticam prætulit. Archiepiscopus, depoſita mitra, atque regimine abdi-

Bapt. Fulgos. lib. 4. cap. 4. & Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 10. §. 3. & seqq.

abdicato, in religionem Cistertiensem se abdidit, omnes pauperiem, quam alij fugiunt, sectantes. Quartus superfuit, natu minimus, nomine Alexander, sedecim annorum adolescens, hunc pater sceptro destinauit, regnique fecit successorem. Virgo viginti tunc annorum erat Mechtildis soror eius, quæ fratrem ita est affata. *Alexander, frater charissime, quid nunc ages? Fratres tui maiores natu mundum terramq; deseruerunt, vt cælum acquirerent: regnum spreuerunt mortale, vt regna perpetua possiderent. Tibi ergo soli regnum relictum est, pro quo es & cælestem gloriam, & animam perditurus.* Bona indoles non indiget multis verbis. Dictum igitur hoc vnicũ ita Alexandro adolescenti altè in pectus descendit, vt totus in lachrymas resolutus, videretur vtiq; pluris facere regni cælestis, quàm terreni jacturam. Neq; distulit deliberationem, sed cum gemitu exclamans: *Heu*, inquiebat, *soror, quid mihi prodest, si non tantùm regnum, sed etiam vniuersum mundum lucrer, animæ verò meæ detrimentum patiar? Quid consilij mihi das? En paratum habes, quidquid suaseris, exequi, & facere, quidquid iusseris. Inter duo regna, vnum breue est, alterum æternum; vnum mille*

*mille casibus obnoxium, alterum securum; inter duas coronas, una est spinis curisq; suffulta, altera sine solicitudine amissionis. Video vtramque difficulter simul teneri; amens sum, si ambigo, vtra præ altera sit relinquenda. Iuniorem me fratres mei natu maiores docuerunt, quid sit eligendum. Calum ipsi cum paupertate elegerunt; ego cum terris & diuitijs infernum habebo? Itáne ludemus, vt illi Prometheum, ego Epimetheum agam? Non ita erit: omnia perdam, ne animam perdam. Duc, soror, quocunque vis. In ignotas terras si duxeris, ibo: si duxeris in seruitutẽ, ibo: ibo si duxeris in solitudinem: ibo, si duxeris in horridos montes: in Caucasum ibo, si duxeris, dummodo ad Deum ducas.* Hæc, & plura talia, quæ mentis calor suggessit, adolescens sorori respondit. Quæ fraterno consensu gauisa, mutatis vestibus, ne noscerentur, è paterna domo, comitante Alexandro, profugit, longeque, ne quæri possent, recessit. Forte facinus, & rarum. Nam è regia domo, ad rusticos lares descenderunt puer & puella regia; & seruitutigrauissimæ se vltro addixerunt, qui imperare potuissent. Ibi Alexander assueuit, illam manum, quæ sceptro destinata fuerat, vaccis mulgendis admouere; factus cæsarius,

ex

ex regnatore populorum. Quia tamen quò remotiores essent à patria, eò se putarunt fore tutiores, inde in Galliam profecti sunt, delatique ad Fonij cænobium, vbi Cisterti-enses Religiosi Deum colunt. Ibi itidem Alexander mulgendis vaccis se addixit, caseisque figurandis. In qua re operam suam ita Religiosis probauit, vti eum intra claustrum reciperent, atque in eorum fra-trum numerum ascriberent, quos *Conuersos* vocant, eadem, quæ priùs, vilissima quæ-que munia subiturum. Soror, quæ iam se-cura in statione videbat fratrem suum esse, ita eum allocuta est. Magna, ô frater, ob diuitias, patriam, & parentes relictos, præmia nos in cælo manent; sed ea miris modis cumulabimus, si etiam nos ipsos sepa-remus, atque etiam hoc solatio, quod ex mutuo aspectu, & conuersatione capimus, ad tempus, priuemus, donec in cælo, cum inenarrabili voluptate mentis, nos æter-nùm intueamur. Deseramus ergo etiam flu-xum hoc gaudium, cum spe retributionis, quod sine mercede, & maiore cum luctu mors auferet. Dici non potest, quantum hic sermo certamen, in Alexandri animo excitârit. Amabat sororem suam supra om-

ne crea-

ne creatum, quod amari potest. In illa habebat ducem, in illa magistram, in illa exemplum vitæ suæ. Hanc deserere, grauius ducebat omnibus, quæ hucusq; deseruerat. Sed tamen dux erat, cuius sequendum consilium; magistra erat, cui parendum; exemplum erat, cui nisi se accommodaret, videbat turpe esse, à femina in huius facinoris palæstra superari. Pudebat vinci, pigebat vincere. Ligabat hinc amor, inde pudor stimulabat. *Tu non poteris*, inquiebat, *quod ista? An verò ista in semet ipsa potest, ac non in Domino Deo suo?* Erubescebat igitur, & irascebatur sibi, & tamen ita commouebatur, vt fletu vberrimè prorumpente, vel inuita carne; animo imperaret, sororiq; manus daret ac valediceret, iam totus sui, immo Dei. Ita duæ coniunctissimæ mentes à se, ad Christum discesserunt. Et Mechtildis quidem, nouem inde milliaribus abijt, ad villam, quæ Lapion appellatur. Quo in loco, non pauperrima tantùm erat, sed quoddam verissimum Archetypon paupertatis. Pro palatio, habitabat sub tecto ex asseribus tumultuariè constructo. Dixisses, anserem ibi, non hominem stabulari; ita humilia & angusta erant omnia, ac ventis pera-

S. August. lib. 8. Confess. c. 11.

uia.

tia. Neque rogata, neque coacta vel munus, vel stipem admittebat; solo manuum labore victitans, more eremicolarum. Quin neque cum ceteris egenis, per æstatem, spicas colligere contendebat; sed ea dumtaxat collegit, quæ è diripientium manibus ceciderunt. Cùm dormiret, vix quidquam corpori substratum habebat, & quia defuit, quò caput reclinaret, membra omnia æquata iacebant. Neque tantùm prolixissimas preces ad Deum fundebat genibus callosis incumbens, sed ipsum quoque cibum potumque hoc situ capiebat. Denique interorandum sæpenumero ita sensibus abrepta fuit, vt neque micantia cælo fulgetra cerneret, neque tonitrua metuendum in modum boantia exaudiret. Ita cùm diu vitam traduxisset, tandem nouem annis ante obitum à militibus, qui eam in Scotia viderant, agnita in fugam se coniecisset, nisi vi retenta fuisset, virgo ante, & post mortem miraculis clara. Quamquam tota illius vita fuit miraculosa. Certè prodigium fuit, puellam sanguinis regij, in gynæcéo delicatissimè educatam, tantam paupertatis amatricem esse potuisse. Quod prodigium etiam in fratre eius Alexandro eluxit. Nam

quis

quis fuerit ille bubsequa, illud quoque manifestatum fuit, dolente licet ipso. Venatum exierat Dominus Hugo de Rumenni, vir primæ nobilitatis. Ibi aprum immanis magnitudinis canes excitauerunt, cœperuntque in campum prodire, eò, vbi Alexander armenta pascebat. Iam lassatus aper stabat, iam præliabatur; & Hugo ex equo descendens, stricto mucrone aduolabat, lethalem ei plagam impositurus; sed vbi eius truculentiam vidit, formidine horrescens propiùs accedere non est ausus. Quod vbi de propinquo vidit Alexander, extemplo accurrit, extortoque è manibus eius ferro, magna generositate bestiam aggressus interfecit. Ea humi strata, Nobilis in oscula Fratris Alexandri ruit, eiusque animos admirans dixit: Vndecumque veneris, neque vaccarum te custodem, neque in pago natum, aut rustici filium esse mihi vmquam persuadebis. Inde suspicio nata, inde multiplices coniecturæ ortæ. Quæ Priori illius causſam dederunt, eum postea morti propinquũ obtestandi, & obedientiæ vinculo constringendi, vt ediceret, vnde, & quisnam esset. Hac vi adactus prodidit, se Mechtildis de Lapione (quæ iam antea in-

noctue-

notuerat, vt dixi) germanum fratrem, regis autē Scotiæ filium esse. Tunc demum patuit, paupertatis amorem, auro, gazis, regnis esse potiorem. Tunc eum non iam Bootem, sed verum cælitem vniuersi nuncupauerunt. Quamprimùm enim ex vita excessit, omnes eum pro Sancto coluerunt. Inter quos monachus quidam præcordijs periculosè vlcerosis, ad tumulum eius sanitatem cùm flagitaret, tunc enimuerò apparuit, ad quas vltronei pauperes diuitias, & ad quantam in cælo gloriam euehantur. Nam ita precanti sese clarissima in luce, sole ipso splendentior præbuit visendum Alexander, duplici corona insignis, quarum vnam in capite, alteram in manu ferebat. Non potuit facere monachus, quin interrogaret, quid significaret geminata corona. Cui Alexander, Corona, aiebat, capiti meo imposita, coronam indicat, quam communem cum Sanctis accepi: altera corona, quam in manu gero, illam coronam gloriamque tibi ostendit, qua decoratus sum, ob regiam coronam, quam pro Christo deserui contempsique, ô quanto fœnore, quantaque compensatione! Hæc ceteris nuncia, vt discant me imitari, & terrenis

cælestia anteferre; qui ne putent, te somniasse, ecce, quod petieras, impetrasti. Ex hac hora enim sanus eris.

## §. XVII.

### *Varijs modis homines imitari posse exempla pauperum Christi.*

Dixit hæc Alexander, & qui sanitati fuerat restitutus, alijs narrauit: illi, qui eodem tempore se vixisse testantur, posteritati commendarunt, vt & exemplum & præmium pretiumq; paupertatis à quatuor regijs prolibus disceremus. O quàm magna virtus est, posse coronas abijcere, sceptra contemnere, purpuras deponere, in cœnobijs, inter infimos, inter pecudes laborare? Hi sunt, qui Mundo ignoti, Sanctis nobiles, Deo chari, de stabulis transeunt ad duplicem coronam, præ Principibus, præ Regibus, præ ipsis Imperatoribus in cælo triumphaturi. Liceat mihi igitur cum S. Hieronymo Lectorem alloqui ac dicere: *Sectare vestigia eorum, quos sacerdotium & humiliores facit, & pauperes: aut si perfecta desideras: exi cum Abraham de patria & cognatione tua, & perge quò nescis. Si habes substantiam, vende & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es: nudum Christum nu-*

S. Hieronym. ep. 4. ad Rusticum,

dum

dus sequere. *Durum, grande, difficile; sed magna sunt præmia.* Nemo putet se nimium dare, si vel regna det Deo: si enim Deo danda sunt, quæ Dei sunt; profectò corpus & anima, vita & mors, copia & inopia, honores & voluptates, denique omnia, quæ in mundo sunt, Deo danda offerendaq; sunt, quia omnia Dei sunt; siquidē *Dominus vniuersorum* est. Quod diligenter considerarunt Religiosi, qui, imitatione primorum Christianorum, quibus *erant omnia communia*, Euangelicam amplexi sunt paupertatem, eamque voto firmarunt, hoc ipso ditiores, quia pauperiores. Nam vnusquisque pro vno sibi proprio, conferendo illud in commune, in communi possidet omnia ceterorum. Quæ communio bonorum nata est ex communione animorum, apud Apostolos; *vt qui eodem consortio religionis tenebantur*, ait S. Augustinus, *eodem consortio fruerentur & vita; vt quibus erat vna fides, esset vna substantia; quibus erat communis Christus, communis esset & sumtus. Non quærit charitas quæ sua sunt.* Quidam eò vsque progrediuntur, vt nihil omnino, ne in communi quidem habere velint, sed viuere in diem mendicatò. Sed diuersa sunt dona spiritus,

Matth. 22. 21.

1. Reg. 2. 7.

Act. 4. 32.

August. serm. 27. de verb. Apostoli.

diuersæ vocationes, vti & diuersi fines, ac diuersæ naturæ & vires. Non omnes possunt esse Alexandri, aut Mechtildes. Apostolorum exemplo patet, possessionem incommuni, nil paupertati derogare. Quamquam neque hæc quidem paupertas omnibus competit. Quod S. Augustinus suo exemplo demonstrat. Narrat enim, se ante conuersionem agitasse consilium, cum socijs, de vita communi incunda, vt remoti à turbis tranquilliùs viuerent; *vt vnam*, inquit, *rem familiarem conflaremus ex omnibus; vt per amicitiæ sinceritatem non esset aliud huius, & aliud illius, sed quod ex cunctis fieret vnum, & vniuersum singulorum esset; & omnia omnium. Et placuerat nobis, vt bini annui, tamquam magistratus omnia necessaria curarent, ceteris quietis. Sed posteaquam cœpit* (Romanianus vnus è socijs) *cogitare, vtrum hoc mulierculæ sinerent, quas & alij nostrûm iam habebant, & nos habere volebamus, totum illud pactum, quod bene firmabamus, dissiluit in manibus, atque confractum est. Inde ad suspiria & gemitus conuertebamur, & gressus, ad sequendas latas, & tritas vias sæculi.* Nimirum non omnium est, etsi bona fortunæ velent deserere, etiam deserere vxores. Quid

S. Augustin. l. 6. Confess. cap. 14.

ergo

ergo his faciendum? an amandæ diuitiæ, detestanda paupertas? nequaquam; cùm tanta sint huius bona, vt etiam Ethnicorum plurimi eam ambierint. De quibus aliquid dicere, operæ pretium est.

# CAPVT XVI.

## *Fuisse etiam, apud Ethnicos, amatores & laudatores paupertatis.*

### §. I.

### *Ad quam paupertatem Ethnici peruenerint?*

GEntiles, quamquam ad perfectam Euangelij paupertatem, quæ inducit bonorum communionem, atq; vnius Dei vitæque æternæ amore suscipitur, assurgere non potuerunt; ductu tamen naturæ adeò multa viderunt, vt pacis, boni publici & priuati, ac Philosophandi, nonnulli etiam laudis causſa, diuitias contemnerent, & sponte etiam pauperes esse mallent. Atque inter hos non Philosophi dumtaxat, sed etiam Principes fuerunt; illi enim vt sapientiæ, isti vt Reipublicæ gubernaculis tantò liberiore animo vacare possent, curas sollicitudinesque pecuniarum à se abdica-

Senec. ep. 17.

runt. *Si vis vacare animo*, ait Seneca, *aut pauper sis, oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri, sine frugalitatis cura.*

S. Chrys. lib. 2. contr. vituperat. vitæ monasticæ.

Quam ob rem non dubitauit D. Chrysostomus pauperes cum opulentis regibus comparare, Diogenem cum Alexandro, Platonem cum Dionysio, Socratem cum Archelao; docuitque, illos sua paupertate, glorioſiores fuisse, quàm hos cum regnorū suorum maiestate. Laudat quoque Epaminondam Thebanum principem, qui in concionem vocatus, cùm venire non potuisset, quia vestem lauerat, nec aliam habebat, omnibus, qui eò venerant, illustribus viris spectatior illustriorque fuit.

## §. II.

### *Maximi virtute, apud Romanos, opibus minimi.*

Hanc tenuitatem vsque ad mortem seruatam, etiam in Romanis principibus egregiè laudant scriptores. *Regio imperio, propter nimiam Tarquinij superbiam, finito, consulatus initium Valerius Poplicola cum Iunio Bruto auspicatus est. Idemq; postea tres consulatus acceptissimos Populo Rom: gessit: & plurimorū ac maximorum operum prætextu titulum imaginum suarum amplificauit: cùm interim facul-*

Val Max. l. 4. c. 4.

tatum

rum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidē impensam sufficiente, deceßit: ideoq; publica pecunia ducta sunt. Non attinet vlteriore disputatione tanti viri paupertatem scrutari; abunde enim patet, quid viuus possederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit. Quanta amplitudinis Agrippam Menenium fuisse arbitremur, quem senatus & plebs pacis inter se faciendæ auctorem legit? Quantus scilicet esse debuit arbiter publicæ salutis? Hic, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops deceßit, vt sepulturæ honore caruisset. Verùm idcirco perniciosa seditione diuidua ciuitas manibus Agrippæ in vnum contrahi voluit: quia eas pauperes quidem sed sanctas animaduerterat: cuius vt superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita & extincti, hodieq; amplißimum est patrimonium Romana concordia. In C. verò Fabricij & Q. Æmilij Papi principum sæculi sui domibus argentū fuisse confitear oportet: vterq; enim patellam deorum & salinum habuit. Sed eo lautior Fabricius, quòd patellam suam corneo pediculo sustineri voluit. Papus quoque satis animosè, qui cùm hereditatis nomine ea accepisset, religionis caussa abalienanda non putauit. Illi etiam prediuites, qui ab aratro accersebantur,

vt cossi fierent, voluptatis causa sterile atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant: delicia-rumq; ignari vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant: immò verò quos periclari rei-pub. imperatores asserebant, angustiæ rei familiaris (quid cesso proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant. Atilium autem, qui ad eum accersendum à Senatu missi erant ad imperium Populi Rom. sucipiendum, semina spargentem viderunt: sed illæ rustico opere attritæ manus, salutem publicam stabilierunt; ingentes hostium copias pessumdederunt. Quæq; modò arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit ijs rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere. Potest paupera consolari Atilius, sed multò magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini nimis anxia diuitiarum comparatio. Eiusdem nominis & sanguinis Atilius Regulus primi Punici belli gloria, cladesq; maxima: cùm in Africa insolentissimæ Carthaginis opes crebris victorijs contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset; consulibus scripsit: villicum in agello, qui septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemq; nactum mercenarium, amo-

to in-

*to inde rustico instrumento, discessisse. Ideoq; petere, vt sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, vnde vxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquam senatus à coss. accepit, & agrum Atilij illico colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis præberi, resq; quas amiserat, redimi publicè iussit. Tanti erario nostro virtutis Atiliana exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit.*

## §. III.

### *Pauperes non solùm diuitibus esse beatiores, sed vitæ huic nostræ omnino necessarios.*

En quò venerunt, apud Ethnicos, sapientes? quod alij ignominiam putant, in eo gloriantur, neque enim, vt ille piger, *mendicare erubescunt*: neque se reprehendi censent, cùm pauperes vocantur. Hinc, teste Antonio in Melissa, Aristides diuiti, sibi pauperiem obiectanti, respondit: *Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi verò diuitiæ non paucas perturbationes.* Existimarunt igitur isti, vtique beatius esse perturbationibus his carere. Quin & Democritus dictitabat, *Pauperis conditionem diuitis multò beatiorem esse. Pauperes quippe maximis malis non infestantur, vt insidijs, odio, inuidia, quibus diuites quotidie expositi sunt.* Vnde meritò paupe-

Luc. 16. 3.

Anton. in Melissa part. 1. serm. 33.

res & sapientiæ, & Reipublicæ meliùs vacare possunt, quia quietiores. Aristoteles aiebat: *paupertatem multis quidem indigere, inexplebilitatem autem omnibus.* At qui paucioribus indigent, sunt ditiores. Quare, eodem Antonio in Melissa teste, dixit Democritus cuidam de paupertate sua querenti, *Si non multa desideres, pauca tibi multa videbuntur. Desiderium enim contractum paupertatem diuitijs æquipollentem reddit.* Quid, quòd pauperes isti Mundo sunt necessarij, vt sine ijs viuere non possemus? Quis araret, si nemo indigeret? quis oues tonderet, quis boues pasceret, si omnes Midæ essent? Quis texeret; quis calceos, quis vestes sueret, quis domos, quis vrbes ædificaret, quis vllam artem mechanicam exerceret, si omnes satis haberent? Immo si non essent, qui seruirent, quis dominaretur? Quis nauta, quis auriga, quis auceps, quis piscator, quis mercator esse vellet, si quisq; Prætor, si Imperator esse posset? Enim verò quis posset esse Imperator, si nemo inueniretur, qui vellet imperari? Numquã Crœsus in pistrino fuit, numquam messuit Sardanapalus. Seruus & dominus pariter ponuntur & tolluntur. *Magister artis venter est.* Multa excogitat fames. Et, vt Mimus ait, He-

*Hominem experiri multa paupertas docet.* Vel quemadmodum alius canit, *Ingenium mala sæpe mouent.* Quin Maronis testimonio, *labor omnia vincit*

*Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.* Virgil. lib. 1. Georgic.

Ingeniosa ergo est paupertas, & artium mater, quibus plurimis careremus, si in Mundo paupertas deesset. Desineret industria ciborum; deficeret medicina; non haberentur vestimenta, omnis, seu ad necessitatem, seu ad elegantiam spectans, supellex tolleretur. Non essent pagi, non oppida, non commercia; non indigentia & mutuò suppeditata auxilia; non potentia, non obedientia; non vlli ordinum gradus, non magistratus; non ciues; non rustici; non Respublica: sed mirabilis quædam perturbatio; & in optimarum occupationum vicem, succederet otium, & à laboriosis operibus pigra cessatio; atque turpe quoddam chaos permistum omni genere nefandorum; hominesq; pecudum more, sine industria, sine arte, sine lege, sine capite victitarent. Vnde vel Ethnici viderunt, paupertatem esse quoddā bonum Vniuersi, cui in acceptis referendum, quidquid fere est in rebus humanis, vtile, necessarium, pulchrum, quod labore constat, & sudore paratur.

§. IV.

## §. IV.

### *Falsò putata felicitas diuitum.*

Lucianus in somnio, seu Gallo.

Prolixa & elegans fabula est, in qua diuitiarum mala, & paupertatis commoda à Philosophis considerata enumerantur. In compendiũ conferam. Micyllus pauperculus sutor gallum habebat, à quo cantante, media nocte, expergefactus, cœpit irasci, eiq́ue fustem & necem minitari, quàm primùm diluxisset. Ibi gallus, instar Xanthi equi Achillis, apud Homerum, humana voce herum allocutus dixit, se arbitratum esse, gratum id ei fore, si, quoad posset, alta nocte, lucem anteuertisset, vt ille anteluca nò surgens, quàm plurimum operis conficeret, & priusquã sol diem faceret, vel vnicam crepidam absolueret, ad laboris lucrum accessuram. Non placauit iste sutorẽ quamuis prodigiosus sermo, sed perrexit indignari, quòd è dulcissimo somnio, admirabili felicitate fruens excitatus esset. Aiebat enim, tantum sibi mellis ab ijs nocturnis simulachris, in memoria relictum esse, vt nullo vmquam tempore visi illius obliuionem sit admissurus: vidisse enim se multam vim auri, mirifico fulgore, pulcherrimè coruscantis; somnium autem inde ortum, quòd in illud

illud incidiſſet ab heſterno conuiuio Eucratis natalitia filiæ celebrantis redux, & ebrius. Somnium tale erat. Viſus illi Eucrates ipſe, cùm orbus eſſet liberis, neſcio quo modo, è vita decedere, teſtamento priùs condito, quo Micyllus in ſolidum hæres ſcribebatur. Itaque ſomniabat, ſe adire facultates, & aurum argentumque ingentibus quibuſdam ſcaphis exhaurire, perpetuò ſubſcaturiens, & affatim affluens: tum autem veſtes, menſas, pocula, miniſtros, & omnia ſua eſſe. Poſtea videbatur ſibi candido vehiculo vectari reſupinus, cunctis, qui intuebantur, conſpiciendus, & admirandus. Accurrebant permulti, ac circùm equitabant: complures ſequebantur. Micyllus interim Eucratis indutus veſtitum, & annulos gerens circiter ſedecim digitis inſertos, epulum quoddam ſplendidum iubebat adornari, quo amicos acciperet. Iamque illi ita, vt in ſomnio fieri conſentaneum eſt, aderant: jam epulæ erant comportatæ: jam potus ex animi ſententia miniſtratus. Inhis cùm verſaretur ſomnians Micyllus, & aureis phialis præbiberet omnibus, qui aderant, amicis: cùm jam inferrentur bellaria, gallus penetrabili voce ſutorem, ex ambroſia

brosia illa quiete excitans, perturbauit conuiuium, mensasque momento subuertit, ac diuitias illas omnes dissipauit, vt in auras euanescerent. Hac de caussa calceolarius in gallum tam intempestiuè cantantem stomachatus est: siquidem vel tres noctes perpetuas adhuc libenter somnium illud continuari voluisset. Sed somnium fuit, sicut & tota vita diuitum esse solet, qui vbi mortui fuerint, perinde illis erit, ac si diuitias somniassent dumtaxat; tunc enim finis erit omnium istarum voluptatum, atque opes euanescent, non secus ac fugere solent à somniante; iuxta illud: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis.* Et tamen hoc somnio tanta mortalium multitudo capitur. Quare cùm gallus ille (qui fingit se olim Pythagoram Philosophum fuisse) scire vellet, cur Micyllus auri tam cupidus esset, atque in opum possessione felicitatem esse putaret, ita sutor diuitias laudauit. Auro ornari homines, Homerus est testis, apud quem Euphorbus comas Gratijs idcirco similes gestasse scribitur, quòd auro atque argento cincinnis intexto prodiret pugnaturus cum Achiuis. Auro emi homines, Acrisij custodes confir-

Psal. 75.6.

mant,

mant, qui numquam se passi essent corrumpi, nisi aureum imbrem per tegulas illapsum excepissent. Auro homines fiunt non solùm pulchri, sed etiam potentes, sapientes, atque etiam ex obscuris & infamibus clari ac celebres. *Nam nosti vicinum mihi, & eiusdem artificij Simonem, qui paucis antè diebus apud me cœnauit, cùm legumen coquerem Saturnalibus, duasq; extorum cæsuras immitterem,* qui peracta cœna fictilem ollulam suffuratus, eamque *sub ala gestans abijt. Ei consobrinus erat vir supra modum diues, nomine Drimylus. Is quoad viuebat, ne obolum quidem donauerat Simoni, nam quî daret, cùm ne ipse quidem pecunias attingeret? At simul atque mortuus est nuper, vniuersis illis opibus iuxta leges Simon ille, qui coria putria, qui patellam circumlingebat gaudens, purpura ostroq; circumtectus, famulosq; & currus, & aurea pocula & mensas eburnis innixas dapibus possidet: ab omnibus adoratur: jamq; nos ne aspicit quidem. Etenim nuper cùm illum procedentem conspexissem: Salue, inquam, Simon ille indignè ferens: Edicitè, inquit, mendico isti, ne vocabulum meum diminuat, neque enim Simon, sed Simonides appellor.* Hæc & plura diuitum & diuitiarum emolumenta cùm enumerasset Micyllus,

Micyllus, tandem hunc epilogum addidit: *Vides, quantas vtilitates pariat aurum? quandoquidem eos, qui sunt deformißimi, transfigurat, & amabiles reddit, non secus atque ceßus ille Poëticus. Audis insuper & à Poeta dictum:*

*O aurum auspicata res, & ostentum optimum.*

Et rursum: *Aurum est, quod opibus imperat mortalium.*

## §. VI.

### *Vera pauperum felicitas.*

Ad hæc in Gallum verius Pythagoras subridens dicebat, Micyllum per insciti summopere falli opinione diuitiarum, more vulgi; diuites enim longè ærumnosiorem vitam viuere, quàm pauperes. Se enim vtrorumq; expertum esse conditionem, & ridere, quoties videat aliquem paupertatis tædio complorantem eiulantemq;, ac diuitum admirantem fortunas, cùm nesciat, quantum in illis sit malorum, quantum bonorum in paupertate. Nam pauperem non magnopere tangi cura bellorum, si quando rumor sit, aduentare hostes: neque solicitum esse, ne in agros incursans militū caterua populetur, neúe hortum proculcet, proteratque, aut vineas vastet: sed simul atque tubam audierit,

dierit, si tamen audierit, de se ipso vno circumspectare, quò deflexus seruari queat, ac discrimen effugere. Interea diuites de sese solicitos esse, animoq; discruciari, cùm de mœnibus quidquid opum possidebant in agris, id omne tolli deportariq; conspiciunt. Quòd si in prælium exeundum sit, vt peditum turmis, aut equitum alis præsint; exire cum tot periculis, cum quot impedimentis: pauperē vimineo clypeo expedito, & leui, ad saluti consulendum. Tempore autem pacis, pauperem à diuite timeri, ne det suffragium malū inter plebem constitutus, ne saxis degrandinet, ne facultates eius publicet: cùm ob inopiam ipse interim neq; calumniatorem metuat, neq; latronem, ne tollat aurum, vel ædium conscenso fastigio, vel pariete perfosso; neq; necesse habeat rationibus occupari, neque exactionibus: neque illi cum sceleratis dispensatoribus conflictandum sit: neque tantas in solicitudines distrahatur. Calceolarium, simul atq; crepidam vnam perfecerit, mercedemque retulerit septem obolos, serò surgere crepusculo; & si libuerit, lauari: tum emto saperda quopiam, aut mænide piscículo, aut paucis ceparum capitulis, semet ipsum oblecta-

re, canentem plerumque, optimaque cum paupertate philosophantem; adeò vt eas ob res salubri sit valentique corpore, obdurueritque aduersus gelu. Siquidem labores, qui illum exacuunt muniuntque, certatorem haudquaquam contemnendum reddere aduersum eas res, quæ compluribus inexpugnabiles esse videntur. Atque hinc nullum ex morbis illis grauioribus impetere illum. Quòd si quando leuis ceperit febricula, paulo negotio eã medicatum, protinus exilire, inedia semet inde excutientem. Illam porrò fugere illico, quippe cùm metuat pauperem, quem videat etiam frigore ali, saturumque fieri, ac medicorum certis illis recursibus longùm plorare renunciantem. Firmiorem igitur esse pauperum sanitatem, difficiliùs amitti, faciliùs recuperari: diuites autem, ob intemperantiam vitæ scatere morbis, habere podagras, phtises, pulmonum exulcerationes, aquas intercutes, quæ omnia à sumptuosis illis conuiuijs oriuntur. Quamobrem quisquis horum Icari in morem (vt ferè faciunt) sese attollit, propiusque se Soli admouet, ignarus se habere alas cera agglutinatas, ingentem quidem subinde strepitum mouere, sed Icari quoque in

morem

morem cadere. Ceterùm, qui Dædali exemplo non admodum sublimia, neque excelsa appetunt, sed humilia terræq; vicina; adeò vt cera nonnumquam salis aspergine madescat, eos tutò plerumque ac citra discrimen transuolare. Aliorum naufragia fœdissima conspicit; nempe vbi Crœsus reuulsis alis risum exhibet Persis, conscenso rogo: aut Dionysius, cùm abdicatus tyrannide, Corinthiorum in vrbe ludi litterarij magistrũ agit, post gestum tantum imperium, puellos compellans, vt syllabas connectant.

## §. VI.

### *Regum miseria.*

Addit his Pythagoricus Gallus se quoq; in exemplum. Nam ait se, cùm rex esset, supra modum fuisse infelicem. Etsi enim externa specie planè fortunatus esse videretur, in animo tamen innumerabilibus curis fuisse districtum. Imperasse quidem regno magno, feraci, pulchro, populoso, quod neque fluminibus nauigabilibus, neque mari portuoso caruerit: habuisse exercitum ingentem, equitatum spectatissimum atq; excellentem, satellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum vim maiorem, quàm vt posset numerari, vasorum argenteorum ma-

gnam copiam, deniq; quidquid ad apparatum illum tragœdiamque pertinet. Vnde cùm prodiret, pleroſq; adoraſſe, Deum quempiam ſe intueri ratos, alioſque trudentes alios concurriſſe, vt regem conſpicerent. Nonnullos conſcenſis tectis, magni faciebant, ſi plenè contemplari licuiſſet quadrigam, ſtragulũ, diadema, tũm anteambulones, & qui à tergo comitabantur. Talis fuit externa facies Pythagoræ, cùm rex eſſet. At intus & in cute, quid fuerit, audi ipſum loquentem. *Ego inter hæc mihi conſcius, quanta me res diſcruciarent, verſarentq;*, inquit; *illos quidem propter inſcitiam venia dignos judicabam, at mei ipſius miſereſcebat, qui prægrandibus illis Coloſſis viderer perſimilis, quales vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus eſt. Etenim illorum quiſque, quæ adeò quæ foris apparent, Neptunus ipſe eſt, aut Iupiter mirificè decorus, auro eboreoq; compactus; & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuſcinam dextra ſuſtinet: ceterùm ſi immiſſo capite, quæ ſunt intus, inſpicias, videbis vectes quoſdam, paxillos, & clauos introrſum prominentes, neq; non vimina, cuneosq;, & picem ſublitam, & aliam item id genus deformitatem intrinſecus inhabitantem. Omitto recenſere mu-*

ſcarum

*ſcarum muſtelarumq; vim, qua nonnumquam in eis manſitant. Huiuſmodi quadam res nimirum regnum quoque videtur.* His recenſitis, petijt ſibi Micyllus explicari lutum, & clauos, & vectes, quinam fuerint in imperio, & alia quæ ſunt intra Coloſſum. Mox igitur Pythagoras gallicus ita perrexit: *Quid primo loco tibi referam, Micylle, vtrum metus, curas mordaces, ſuſpiciones, odium quo regem perſequuntur ij, qui cum illo viuunt, inſidias, atque eas ob res ſomnũ rarum, & hunc ipſum pertenuem, ac plena tumultus inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes ſemper improbas: an otij penuriam, & occupationes, judicia, expeditiones, edicta, fœdera, conſultationes? quibus rebus fit, vt ne per ſomnium quidem aliqua re ſuauiter frui liceat; verùm vt omnibus de rebus ſolus diſpiciat neceſſe eſt, milleq; negotia ſuſtineat:*

*Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat*
*Somnus, multigenas verſantem pectore curas,*

*idq; cum reliqui omnes Achiui ſterterent. Adde, quòd Lydum illum diſcruciat filius mutus: Perſam verò Clearchus ad Cyrum deſciſcens: atq; alium quempiam Dion cum Syracuſanis nonnullis ad aurem communicans. Rurſum alium*

quemdam vrit Parmenion collaudatus. Item Perdiccam Ptolemæus: Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque molestiam afferunt, si qui defectionem parare dicantur, aut duo quatuorve satellites inter sese consusurrantes. Porrò (quod est omnium grauissimum) amicissimi quique vel maximè sunt formidandi, semperque metuendi, ne quid magni ab illis exoriatur. Namque alium filio veneno necatus est: alius item ab amico. Alium simile quoddam fortassis mortis genus eripuit.

## §. VII.

### Cur præstet, esse pauperem?

Ad hæc Micyllus, *Atrocia miraque sunt* (inquiebat) *quæ narras, ô galle. Mihi igitur multò sit tutius operæ cerdonicæ pronum incumbere, quàm ex aurea bibere phiala comiter delatum haustum, cæterùm cicuta aconitoque temperatum. Nam mihi quidem hoc vnum est periculi, vt si paulùm aberret smilion dextra, atque à recta incisione, summum secantis digitum exiguo sanguine tingat: at isti, quemadmodum narras, lethifera agunt conuiuia, atque id innumerabilibus in malis constituti. Deinde, vbi conciderint, persimiles esse videntur tragœdiarum histrionibus. Nam multi, sicut videre licet, Cecropes sunt scilicet, aut Sisyphi,*

*aut Telephi ; diademata gestant , argenteisq́ capulis gladios, comamq́ ventilantem, & auro intertextam chlamydem. Quòd si quis ( qualia nimirum permulta solent accidere ) impulsos illos media in scena præcipites det , risum profectò moueant spectatoribus , videlicet persona vnà cum ipso diademate contrita, vero autem actoris capite luxato, cruribusq́ maxima ex parte renudatis: vt jam interioris amictus quàm miseri sint panni, fiat perspicuum : ac cothurnorum , quos pedibus induxerunt, appareat deformitas , haudquaquam ad pedis modum respondentium.* Quamobrem rectè colligit Pythagoras, nullam ex omnibus vitam sibi visam tranquilliorẽ vita naturalibus dumtaxat cupiditatibus & vsibus circumscripta. Posthæc, ipsa adhuc nocte, reliquis mortalibus quietem concedente, circumduxit Micyllum gallus , per diuitum domos, vt eorum beatam vitam coràm oculis, vel ad obscuram siticulosamq́; lucernam intueretur. Et quidem primò ad illius ipsius ædes , qui ex Simone Simonides factus, cupiditatem Micyllo à puero insitam , quam numquam dediscere potuit, videlicet vt diues euaderet , insperata felicitate sua inflammârat. Ibi ergo vidit Simonem Simonidem , cete-

ris dormientibus, vigilantem, ac supputantem, pallentemque admodum, atq; extenuatum, curis enim totus exaruerat. Quibus de caussis, Simon ipse indicauit, his verbis secum loquens: *Nimirum septuaginta illa talenta tutò admodum sub lectica defossa sunt, neq; quisquam alius omnino vidit? At verò sedecim illa Sosylus equiso vidit me sub præsepe occultantem. Itaque de curando stabulo non est admodum solicitus, quamquam nec aliàs admodum laboris appetens. Verisimile est autem, illum multò etiam his plura sustulisse. Nam unde alioqui Tibius heri tam ingens salsamentum illi obsonio proposuisset? Tum autem aiunt, illum monile emisse vxori drachmis quinq;. Heu misero mihi! Hi omnia mea dissipabunt bona. Quid, quòd ne pocula quidem sat in tuto mihi recondita sunt, cùm sint multa? Vereor enim, ne quis ea, suffosso pariete tollat. Complures mihi insidient, atque insidias parant. Optimum igitur fuerit, vt ipse insomnis seruem. Omnem obibo domum, in orbem obambulans. Quis iste? Video te per Iouem, ô parietum perfossor. Sed ea columna, bene res se habet. Pernumerabo denuo refossum argentum, ne quid fortè dudum me fugerit. En rursum obstrepuit mihi nescio quis. Nimirum obsideor, atq; insidijs appetor ab omnibus*

nibus. *Vbi mihi gladius, si quemquam deprehendero? Rursum aurum defodiamus.* Hæc in jam diuitis Simonis domo, & complura, in aliorum opulentorum, vsurarum rationes digitis contortis iterantium, ædibus postquam vidit Micyllus, & verò etiam in ipsius Eucratis palatio, exclamauit: *O miser, cuiusmodi viuit vitam? hostibus eueniat, ad hunc modum diuites esse. Valeat aurum & conuiuia. Duo oboli mihi potiores diuitiæ sunt, quàm si à domesticis mihi domus perfodiatur.* In hunc modum, ex Pythagoræ, immò galli Pythagorizantis admonitione, didicit Micyllus sutor philosophari; & paupertatem diuitijs anteferre.

## §. VIII.

### *Philosophorum de paupertatis precio judicia.*

Ob quas rationes etiam alij sapientes inopiam non solùm æquo animo tulerunt, sed etiã gazis regijs prætulerunt. Illis, quos suprà recensui, accedat paulo aliter à S. Patre, quàm à Madaurensi Philosopho citatus. *Crates Thebanus*, ait S. Hieronymus, *magnum auri pondus proiecit in mare, quòd diceret, non posse se diuitem satis bene philosophari: Mergam*, inquit, *vos, ne mergar à vobis.* Cato

Suprà c. 2. §. 8.

S. Hieronym. ep. 13.

Anton. in Melissa. p. 1. serm. 33. Stobæus ser. 95.

quoque dicebat, honestam paupertatem impijs diuitijs, longè præferendam esse: hoc enim opprobrij, illud miserationis caussâ, fieri solere. Quin Diogenes paupertatem appellabat virtutem αὐτοδίδακτον, id est, quæ per se discitur. Non enim multis opus est documentis, vt quis pauper fiat; aut, si pauper est, vt frugaliter viuat; diuites autem indigent multis præceptis, vt discant temperantiam, vt exerceant liberalitatem, vt abstineant à luxu, ne superbiant in vestibus, quæ omnia seipsam docet paupertas. Plutarchus scribit, Lycurgum rogatum, *Quomodo Sparta salua & inuicta contra hostes consistere posset?* respondisse: *si pauperes fueritis, nec alius alio plus requirat. Ad opulentos enim spes prædæ inuitat hostem, nec facilè potest elabi, qui sarcinis, & impedimentis retardatur. Ad hæc tutiores sunt ab hostium incursu, apud quos est æqualitas, & ex æqualitate concordia.* Senecæ certè generosum est dictum: *Sunt quidam extra omnem subducti cupiditatem, qui vix vllis humanis desiderijs contingantur: quibus nihil potest præstare ipsa fortuna. Necesse est à Socrate beneficio vincar: necesse est à Diogene, qui per medium Macedonum gazas nudus incessit, calcatis re-*

Plutarch. in Lacon. apoph.

Sen. lib. 5. de benef. c. 4.

gijs

gijs opibus. *Nonnè ille tunc meritò, & sibi, & ceteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat offusa caligo, supra eum eminere visus est, infra quem omnia jacebant? Multò potentior, multò locupletior fuit, omnia tunc possidente Alexandro, plus enim erat, quod hic nollet accipere, quàm quod ille posset dare.* Adeò fuit paupertas in Diogene potens.

§. IX.

*Variarum virtutum caussa, variorumq; Graecorum heroum decus paupertas.*

In compendio, apud Madaurensem Apologistam, *paupertas est, apud Graecos, in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta.* Quod compendium vt intelligatur, *omnium Graecorum*, ait Ælianus, *clarissimi praestantissimiq; Viri, per totam vitam, in extrema mendicitate versati sunt, quis igitur diuitias laudârit, cùm omnium Graecorum probatissimis Viris, sorte quadam, paupertas per vniuersam vitam adhaserit? sunt autem hac eorum nomina, velut Aristides filius Lysimachi, qui multa praclara domi militiaq; gessit, & Graecis tributum ordinauit: At ille non tantum post obitum reliquit, vt exequijs celebrandis sumptus esset. Phocion etiam egenus erat, attamen cùm Alexander ei mitteres*

Apul. in Apologia.

Ælian. lib. 11. variar. c. 9.

mitteret centum talenta, interrogauit: quam ob causſam hæc mihi donat? qui cùm reſponderent, quoniam te ſolum ex omnibus Athenienſibus bonum honeſtumq; virum judicat; Sinat igitur, inquit, me talem eſſe. Etiã Epaminondas Polymnidis filius pauper erat, cùm autem Iaſon ei quinquaginta aureos nummos miſiſſet, iniuriam, inquit, mihi facere incipis, & quinquaginta drachmis à ciue fœnore acceptis, vt eſſent prouiatico, profectus eſt in Peloponneſum. Cùm verò nuncium allatum eſſet, armigerum eius pecuniam à captiuo quodam cepiſſe. Mihi, inquit, da ſcutum, tu verò tibi cauponam eme, in qua viues; non enim vlteriùs pericula ſubire volui, cùm dines ſis factus. Pelopidas, cùm obiurgarent eum amici, quòd pecuniaria rei ad vitam tuendam conferentis nullam curam gereret, &, inquit, me hercule res vilis eſt: Verùm hunc Nicomedi, intento digito in hominem claudum & mutilum. Scipio quinquaginta quatuor annorum vitæ ſpatium emenſus, neq; emit neque vendidit quidquam, adeò paucis fuerat contentus, cùm autem ei quidam ſcutũ diligenter apparatum oſtenderet, dixiſſe fertur; atqui Romanum ciuem par eſt in dextra ſpem ponere, non in ſiniſtra. Ephialtes Sophonidæ filius pauperrimus fuit: etſi verò amici decem talenta ipſi donarent,

*darent, non accepit: hac, inquiens, me cogerent, reuertentem quidem vobis aliquid præter jus concedere; Sin minùs vos obseruarem, ingratissimum videri.*

§. X.

*Romanorum heroum paupertas.*

Talia dicta & alij dixerunt, vnde & eorum paupertas, & virtus eluceret. Nam nostro æuo multi audiuerunt, Henricum IV. de se iocantem antè, quàm Franciæ gubernacula illi traderentur: Quòd rex esset sine regno, & maritus sine vxore, ac dux belli sine pecunia. Sed minùs mirum est, Christianos aut Christianissimos inopiam ita suscipere, vt in ea etiam iocentur; illud paupertatis pretium magis detegit, quòd ab Ethnicis, & solo naturali lumine, tanti fuerit æstimata rerum egestas. Quare, vt Ælianus eam in Græcis, ita Valerius Maximus in Latinis ostendit. *Non magna latifundia L. Quintij Cincinnati fuerunt: septem enim iugera agri possidet: ex his q3 tria, quæ pro amico ad ararium obsignauerat, multa nomine amisit: pœnam quoq3 pro filio Cæsone, quòd ad causſam dicendam non occurrisset, huius agelli reditu soluit, & tamen ei quatuor iugera aranti, non solùm dignitas patriſ familiæ constitit, sed etiam dicta-*

Val. Max. lib. 4. c. 4. n. 7.

dictatura delata est. Angustè se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. Hic tantus vir pauper fuit, non quia debuit, sed quia voluit esse pauper. Quid Ælia familia, quàm locuples? Sexdecim eo tempore Ælij fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monimenta: & vnus in agro Veiente fundus minùs multò cultoru desiderans, quàm dominos habebat. Inq; Maximo & Flaminio spectaculi locus: qua quidem loca, ob virtutem, publicè donata possidebant. Sed, vt luxui deditis etiam tota ditio non sufficit, ita frugales paruus ager alit. Eadem gens nullum antè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus, Perse rege deuicto, Qui Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret. Taceo enim quòd princeps ciuitatis filiam ei nuptum dedit, cuius penates tam ieiunos pecunia videbat. Quin ipse queq; adeò ineps decessit, vt nisi fundus, quem vnum reliquerat venisset; vxor eius dotem vnde reciperet, non extitisset. Animi virorum & fœminarum vigebant in ciuitate: eorumq; bonis, dignitatis æstimatio cunctis in rebus ponderabatur: Hac imperia conciliabant, hac iungebant affinitates: hac in foro, hac in curia, hac intra priuatos

uatos parietes plurimùm poterant. Patria enim rem, non suam vnusquisq; augere properabat: pauperq; in diuite, quàm diues in paupere imperio versari malebat. Atq; huic tam praclaro proposito illa merces reddebatur, quòd nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecuniâ licebat, inopiaq; illustrium virorum publicè succurrebatur. Itaque cùm secundo Punctio bello Cn: Scipio ex Hispania senatui scripsisset, petens, vt sibi successor mitteretur, quia filiam Virginem adultæ jam ætatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset: senatus, ne respublica bono duce careret, patris sibi partes desumpsit; consilioq; vxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam eius ex ærario erogauit, ac puellæ nuptum dedit. Dotis modus 11. millia æris fuit. In quo non solùm humanitas Patrum conscriptorum, sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest. Namq; adeò fuerunt arcta, vt Tatia Cesonis filia, maximam dotem ad virum 10. millia æris attulisse visa sit: & Megallia, quia cum quinquaginta millibus æris mariti domum intrauit, dotatæ cognomen inuenerit. Ideò senatus Fabricij Luscini, Scipionisq; filias ab indotatis nuptijs liberalitate sua vindicauit: quoniam paternæ hereditati, præter opimam gloriam, nihil erat, quod acceptum referrent.

*ferrent.* Magis igitur, populi Romani opi-
nione, honorificum illis erat, patrem iuſtũ,
quàm opulentum habuiſſe. *M. autem Scau-
rus quantulam à patre hereditatem acceperit,
in primo libro eorum, quos de vitâ ſuâ ſcripſit
refert: ait enim ſibi decem ſola mancipia, in-
tumq́ cenſum quinque atque triginta millium
nummorum relictum. In hac penuria ille futu-
rus ſenatûs princeps nutritus eſt ſpiritus:* qui vt
fruges nimijs imbribus, ita abundantia
ſuffocatus fuiſſet. *Hæc igitur exempla reſpi-
cere, his acquieſcere ſolatijs debemus, qui pa-
rvulos cenſus noſtros numquam querelis vacuos
eſſe ſinimus. Nullum autem admodum pon-
deris argentum, paucos ſeruos, ſeptem iugera
arida terræ, indigentia domi, publicè impen-
ſa funera, inopes dotum filias; ſed egregios conſu-
latus, mirificas dictaturas, innumerabiles tri-
umphos cernimus. Quid ergo mediam fortu-
nam, quaſi præcipuum generis humani malum,
diuturnis conuitijs laceramus? quæ vt non ab-
undantibus, ita fidis vberibus Poplicolas, Æli-
os, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hiq́
paria robora virtutis allicit. Exurgamus po-
tiùs animis, pecuniaq́ aſpectu debilitatos ſpiri-
tus priſtini temporis memoria recreemus: nam-
que per Romuli caſam, perq́ veteris Capitolij*
humilia

*humilia tecta, & aternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos juro; nullas diuitias talium virorum paupertati posse præferri.* Hæc ab Ethnico audiant, discantque Christiani, ne vel in paupertate fiant impatientes, Deumque accusent; vel in fugitiuis diuitijs nimis confidant.

*Nempe dat, & quodcumq; libet fortuna, rapitq;,*
*Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.* Ouid. l. 3. de Trist.

## CAPVT XVII.

### S. Bernardini, de triplice genere pauperum, sententia; & Codri Crœsiq; exempla.

#### §. I.

*Tres classes paupertatis, vel pauperum.*

DIuitias paupertatis, paulò priùs, ostendimus Lucianum descripsisse, more, & ore Philosophorum. Nunc coronidis loco, etiam Sancti alicuius testimonio, elogia paupertatis adijciamus. Est autem is Bernardinus, Senensis, Ordinis Minorum, ac vrbis Aquilæ patronus, vir æquè sanctus ac doctus, qui tres facit seu paupertatis, seu pauperum classes: *prima dicitur* S. Bernar. Senens. to. 3. tractat de 8. beatit. 2. 1. cap. 1. 2. & 3.

*voluntaria, secunda necessaria, tertia simulatoria. Prima laudabilis, secunda tolerabilis, tertia detestabilis. Prima pauperum Christi, secunda pauperum mundi, tertia pauperum diaboli. Prima cum merito, secunda sine merito, tertia cum demerito.* Hunc ordinem si inuertemus, propemodum respondebunt hæ classes ijs, quæ suprà ex Hugone attulimus; nisi quòd in prima alteraq; classe aliquid variatur. Sed tertia Hugonis, quæ præcipua est, omnino eadem est, cum prima Bernardini, verùm cum magna paupertatis commendatione deducta. Omnes autem classes egregiè declarant, quid sit in hoc genere fugiendum, quid obuijs vlnis ab illis, qui perfectionem amant, aut diuinæ se se prouidentiæ accommodare student, amplectendum.

§. II.

*Simulata, seu hypocritica paupertas.*

Simulata ergo, detestabilis, diabolica, & inferno digna paupertas est, seu diuitis, seu egentis inuiti; hoc ipso pauperis, quia cupidus & auarus est: tantum enim illi deest, quantum cupit habere; tantumque torquetur animus eius, quantum inexplebilis auaritia suggerit esse cupiendum. *Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.* Iob. 18. 12.

Nimi-

Nimirum auri sacra fames istos extenuat; & cùm non habent, quem deuorent, inedia consumuntur. Hi quò plus habent, plus desiderant; & semper, quò plus bibunt, plus sitiunt; sicut qui salsas maris aquas hauriunt, bibendi appetitum semper magis accendunt. Etsi ergo aureos montes possideant, tamen contenti non sunt, & simulant, se etiam ijs egere, quæ recondiderunt, dum verè egent eo, quod optant, atque ideirco cruciantur. Hoc est, quod Propheta ait: *Simul in vnum, diues & pauper.* Diues in auaritia, pauper in substantia. Parum enim illi videtur esse, quod habet; multum quo caret. Psal. 48. 3.

His Apostolus scribit, *nullius aliquid desideretis.* Addit glossa: *Nedum rogetis, vel tollatis.* Quo loco prohibet cupiditatè rei alienæ, iuxta illud: *Qui furabatur, iam non furetur. Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.* Spectant ergo ad hanc classem pauperum, omnes fures, prædones, exactores iniqui, quia deest illis id, quod volunt clepere, rapere, prædari, aut importunissimè exigere. Spectant huc omnes auari, & ipsi etiam, qui in ponte sedent ad stipem exigendam, cùm thesauros seruant sub cen- 1. Thessal. 4. Ephes. 4.

tonibus, & à verè indigentibus eleemosynas auertunt. Quin nec illos hinc religiosos excludit D. Bernardinus, qui vt conuiuijs possint vacare, & cuticulã suam curare, nequaquam, vt pauperes decet, conuiuantur atque ad hoc subditos suos nimiopere grauant. Horum meritò omnium vocat sanctus ille hypocriticã & falsam paupertatem, quæ execrabilis est, & diabolica, cui non promittitur *regnum cælorum*, sed caminus ignis ardentis. Nam tales cum diuite illo in inferno sepeliuntur.

§. III.

*Necessaria paupertas.*

Secunda paupertas, varijs de caussis, est necessaria. Neque enim ficta, sed vera est, & vel non optanti venit; quia illi hæreditaria est, aut propria culpa, aut casu, aut certè diuino consilio & prouidentia accidit. Nonnulli enim à quatuor auis sunt pauperes. Nonnullos tesseræ aut astragali, aut ludus pilæ fecit pauperes. Quibusdam diuitiæ per guttur defluxerunt. Quosdam naufragia, quosdam incendia, quosdam bella atque hostes, quosdam tutores, quosdam fures ad incitas redegerunt. Denique mille sunt scopuli, ad quos opes alliduntur.

Itaque

Itaque isti à D. Bernardino vocantur *pauperes huius mundi*, de quibus dicitur: *Pauperes semper habetis vobiscum.* Hæc paupertas est simplex carentia diuitiarum; malis, & malè se in ea gerentibus mala; bona bonis ac patienter eam ferentibus. Aliqui enim, ob inopiam, se domi continent, aut in rus concedunt, vitant publicum, &, sicut vespertiliones apud Æsopum, interdiu videri nolunt. Præsertim autem nobiles, grauiùs sentiunt hanc calamitatem; putant enim eam sibi dedecori esse; neque stemmati suo conuenientem. Alias vestes, alium victum, aliam habitationem, aliam authoritatem maiores habuerunt. Primi in curijs, primi in aulis, primi in conuiuijs sederunt. Omnia hæc vel extinxit paupertas, vel eneruauit. Quare turbantur & fluctuant; quidam franguntur; quidam nunc in hanc, nunc in illam partem nutant; quidam ad sacram anchoram confugiunt, & spem suam in Deum figunt. Ioan. 12. 8.

## §. IV.

### *Ex necessaria paupertate voluntariam esse faciendam.*

Quod vt faciant, ita eos D. Bernardinus compellat. *O pauper verecunde, vis sequi*

consilium meum, vltro paupertati occurre; veniente lato animo patentibus valuis accipiens, atq; amplectere amplectens. Prima enim fronte rigida ac subtristis non immeritò viatori, atq; armato exaquata, eò quòd celer minaxq; sit aduentus illius. At cùm in familiaritatem admissa fuerit, & minimè sumtuosa, & secura, ac facilis hospes erit. Crede mihi, aperi illi ocyùs antequam vectem vi subita confringat, atq; ostijs vulsis à cardine victrix introeat, vt resistentibus permolesta, sic cedentibus perjucunda est. Molliùs quidem diuitiæ subijssent, sed paupertas tutiùs. Nulla opes sunt, quibus non sit anteponenda securitas. Profectò vt animo inopi ac dejecto nulla non deficiunt opes: sic diuiti atq; erecto nulla non sufficit paupertas. Nempe ille alieno innititur, hic proprio fidit. Si paupertatem patienter tuleris, solito eris humilior, expeditior, atque liberior. Vacui amant incedere, qui iter arduum agunt. Carebis solitis opibus, simulq; solitis muribus, atque furibus, nis non & proteruis seruis ijsq; quibus solent abundare diuitiæ, fictis amicitijs, sequacibus ac tenacibus parasitis, totoq; illo grege domestico arridentium tibi, teq; rodentium, atque ridentium. Denique si amissas opes, cum amissis tedijs conferas, lucrum voces. Certè vt securitatẽ fileam, humili-

*humilitatem, sobrietatem, requiem, modestiam, paupertatis comites, si nihil boni aliud illa secum afferret (quamquam etiam fallacium gregibus adulantium, & seruorum tyrannyde superborũ liberet) abundè erat caussa, vt non ferenda modò esset, sed optanda, immo etiam necessaria paupertas. Profectò, vt audacter testimonium perhibeam veritati, nihil inter homines paupertate melius, nihil odibilius. Sed vir sapiens facit de necessitate virtutem, vt vbi paupertatis necessitas vrget, prudentia libera voluntatis acceptet: vel potiùs, quod melius est, amplexetur. Recole pauper quod Prou. 17. c. scriptum est. Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Et 15. cap. iterum Salomon ait: Melius est parum cum timore Dei, quam thesauri magni & insatiabiles.*

## §. V.

### *Diuitis & pauperis fabella è S. Bernardino.*

Hæc sanctus ille pro solatio depauperatorum, aut pauperum. Quibus subiungit exemplum parallelum ei, quod paulo suprà, è Luciano attuli. Est autem istud. Contiguis in ædibus habitabant duo, æquè peculio ac domicilio discrepantes, viri. Vnus in magnifico palatio, tamquam draco Hespe-

ridum pomis, ita saccis & cistis & thesauris suis incubabat. Alter in vili casa rudes lanas excolebat. Dixisses Midam & Irum in viciniam conueniisse. Diues, vt fieri plerumque solet, totas noctes insomnes traducebat: nam in molli lecto durus illi somnus erat. Saturitas enim & venter nimio cibo saburratus, identidem sudantem dormire vix vmquam aut conniuere sinebat. Accessit cura & solicitudo pecuniarum, quæ eum miris modis torquebat. Cùm interea vigilans vicinum pauperem audijt, iuxta igniculum suum, in multam noctem, æquè hilariter cantantem & lætè ludentem, ac strenuè laborantem; ac penso absoluto, repentè altùm silentem, suauiterque quiescentem, donec manè ab vxore denuò excitaretur. Quàm primùm enim dormitum se recepit, in somnum solutus obticuit. Nullæ querelæ, nulli gemitus, suspiria nulla, soli ronchi audiebantur. Inuidit hanc quietem pauperi diues. Vt ergo eum sollicitudinum ac miseriarum suarum socium haberet, aliquando intempesta nocte, clam surrexit, ostiumque vicini, quod non erat multa diligentia clausum, furtim reserauit; atque marsupium nummis aureis turgidum, ponè

ianuam

ianuam è clauo ſuſpendit, eoque relicto, domum rediuit. Pauper prima die è lectulo exiliens, cùm ad fores aperiendas acceſſiſſet, crumenam reperit auro prægnantem; neſcius quis ea nocte Nicolaus in domum ſuam veniſſet. Quid tunc illo homine lætius beatiuſúe eſſe potuiſſet? Primum ergo habuit, vt laborem deſineret, exiſtimans indignum eſſe eo, ſine neceſſitate ſudare, quem Fortunæ riuus inauraſſet. Deinde nullum ampliùs pedem domo extulit, metuens ne ſe abſente aliquis domi theſaurum reperiret. Mox etiam animo angebatur quòd neſciret, vndenam in ſuas ædes aurum eſſet illatum: maximè verò, quia inſidias metuebat. Itaque ne quis fur irrepens ſurripere crumenam poſſet, eam infra lecti ſui ſtramen abſtruſam ſibi ipſe ſubiecit. Enimverò, ne ſurgere cogeretur, ægrotare ſe finxit, elumbemque factum ſimulauit. Noctes igitur dieſque vitello ſuo incubauit, quaſi pullum excluſurus. Neſciebat vxor, ignorabat familia, quid miſero accidiſſet. Et triſtabantur ipſi quoque, quòd in homine alioqui tam lęto inſolitam viderent mœſtitudinem. Ille autem totus erat in quærenda latebra, vbi tutò pecunia abſcondi poſſet. Hæc il-

lum cura coquebat, ista torquebat com. pluſculos dies cogitatio. Interea in singula inquirebat vicinus diues, qui etiam experiebatur, noctu nullos ampliùs audiri cantus, more consueto, neque inter laborem subitos iocantium risus tolli; denique perspicuè cernebat, omnes veteres Gratias lætitiasq; è vicini sui domo emigrasse. Quamobrem, quasi ægrotum visitaturus, ad domum illius accessit. Obuiam prodijt vxor, accurrunt pueri, & alius hoc, alius illud narrat. Ille verò, nihil omnium est, inquit, quæ narratis; alia morbi causſa est. Ego noui incantationem, quare adsum, vt eum subitò curem. Dixit, & ad decumbentem introiuit, iussisque ceteris exesse, secretò illi in aurem hæc verba insusurrauit: *Redde mihi pecuniam meam, quam de tali accepisti loco, alioquin faciam te suspendi.* His auditis illico exilijt è lecto miser, cogitans periculosè ægrotare eum, cui morbus à lumbis ad collum ascendit: non voluit ergo medicum experiri, qui laqueum offerret, pro medicina. Mox itaque meliùs habere cœpit, postquam aurum reuomuit, quo grauabatur. Redijt quàm primùm amor laborandi; recuperata est animi serenitas; & nocte proxima

xima denuò cœpit cantare, ac, sicut priùs solitus erat, cum pueris suis, ioculariter multa faciendo cachinnos mouere, de tristi diuite rursus hilaris pauper factus.

## §. VI.

### *Praecedens fabula, in Lazaro & Epulone explicata.*

His narratis, in hunc modum alloquitur inopes Bernardinus: *Vide ignorans pauper, quantam latitiam habere potes, si patienter & jucundè tuleris paupertatem. Nesciunt pauperes, quot, & quantis anxietatibus & angustijs pleni sunt diuites huius mundi. Et licet, quandoq; aliquis mundanis diuitijs, delicijs, & magnificentijs ad libitum frueretur, tamen breue est, quod delectat: aternum, quod cruciat. E contra de paupere patiente.* Illi enim breue est, quod cruciat, æternum quod delectat. *De vtroq; autem exemplum patet Luc. 16. cap. in diuite Epulone, & Lazaro paupere & patiente. De hoc enim quidam SS. PP. ait: Nihil reperimus scriptum de Lazaro paupere, quòd aliquam virtutem fecerit, nisi quòd numquam aduersus diuitem murmurauit, qui nullam ei misericordiam impendebat; sed cum gratiarum actione sustinebat onus paupertatis à Domino sibi inflictum. De diuite verò dictum est: Homo quidam*

*dam erat diues: in hoc diuitiæ. Qui induebatur purpura & byſſo: in hoc magnificentia. Et epulabatur quotidie ſplendidè, & in hoc delicia demonſtrantur. Ecce tria, in quibus conſiſtit tota concupiſcentia mundanorum. Hinc Abraham inquit: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Talibus monitis excitati pauperes, qui ærumnam ſuam ſponte non ſuſceperunt, ſaltem æquanimiter ferre poſſunt. Stultus eſt, qui ſuam impatientiâ duplicat calamitatem. Sapientis eſt, ex neceſſitate facere virtutem; & malum, quod vitare non poteſt, fortiter tolerare.

## §. VII.

### *Tertia optimaq; pauperum claſſis.*

Supereſt tertia, eaq; regno cælorum dignissima pauperum claſſis, quæ apud D. Bernardinum meritò primum locum obtinet, ſed à nobis huc dilata eſt, tamquam ſumma, perfectioq; totius argumenti, quod deduximus. Eſt enim paupertas voluntaria. *Profectò non paupertas,* inquit S. Bernardinus, *ſed paupertatis amor virtus meretur dici. Voluntas enim ſicut radix eſt meriti, ſic & ſtabilem perſeuerantiam operatur. Quod neceſſitate fit, citò ſoluitur; quod voluntariè accipitur, perſeuerat.*

uerat. Proinde B. Franciscus diuinitus inspiratus in 6. cap. sua regula de paupertate loquens ait: Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri IESV Christi sub cælo in perpetuũ habere velitis. Nec inquit, Nihil habeatis: sed Nihil habere velitis, & ad nihil transitorium vitiosè afficiamini. Talis igitur voluntarius pauper nihil temporale ambit, aut diligit, nihil perdere metuit. Cur igitur non est beata voluntaria paupertas, cùm ipsa de cælo proueniat, sit quadam natura libertas, viuendi, dormiendi, standi, & prodeundi, & conuersandi, ac quadam securitas, & moriendi tranquillitas? Profectò perfectius est, omnia propter Christum contemnere, quàm pauperibus distribuendà seruare. Expeditus viator citò peragit iter suum: Natator nudus liberiùs transit flumen. Hæc paupertas repellit amulorum turbam: nec in manibus suspectorũ constitutus est pauper: omne ostium eum capit; & vbilibet potest reclinare ceruicem: litigare non nouit: latronem non horrescit: in via per publicam & priuatam gradi potest: ciuitates habitare, & penetrare deserta: terrenum judicem adire non habet: aduocato in sua caussa non indiget: libellos recipere, aut porrigere, vel de calumnia iuramenta præstare non nouit. Nam etsi auferatur

tunica,

tunica, dabit & pallium, vt rumor forinsecus non insurgat; & ne propter rem temporalem videatur odisse fratrem. Huiusmodi pauper nihil cum dolore animi perdit, quia nihil cum vitiosa amore possedit: odium ad auferentem, ac tristitiam de amissis sustinere non potest; quia quod non diligebat, immo quod animo contemnebat, amisit: cum omnibus habet pacem, quietem in anima, gaudium in conscientia: liber est in operibus suis, eius oratio non habet ad quod recurruetur in terris: solicitudine nulla tenetur: non oneratur, vt libera volitet. Huiusmodi pauper omnia terrena cuiusuis possessionis existant, sibi vendicauit in jure. Nam ab omnibus petere vita necessaria potest, qui nihil vendicat sibi de omnibus in proprium. Eius, qui nullam habet, omnis domus sua est, si capax extiterit, & omne superfluum est pauperis propriũ: non quidem jure legis scriptæ, sed creatæ naturæ. Potest enim exigere ab omnibus habentibus naturali jure, qui prater naturam nil nouit habere. Profecto Euangelica paupertas est propter Christum contemtus omnium terrenorum. Talis paupertas facit hominem dominũ omnium contemtorum. Proinde 1. Cor. 3. Contemtor omnium Paulus in persona omnium Apostolorum & Apostolicarum virorum, inquit: Omnia enim vestra

sunt,

*sunt, &c. Qui igitur totum despicit mundum, totius mundi dominus est, teste Domino, qui Deuter. 11. cap. ait: Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit. Pes siquidem in scripturis affectum significat. Calcare enim despicere est. Ille profectò totum mundum pedibus calcat, qui cuncta mundana contemnit. Vnde ex ore Domini omnium illorum Dominus factus est. Proinde 2. Cor. 6. Apost. ait: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

## §. VIII.

### *Apostolici pauperes, cur suas opes abiecerint, ad pedes, Apostolorum?*

Huc vsque S. Bernardinus conuenienter, non dictis tantùm, sed etiam factis Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ, primisque Christianis. *Neq; enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Non solùm ob humilitatem, & reuerentiam erga Apostolos, quibus, vt vult Hugo, ea flexis genibus obtulerunt; verùm etiam vt ostenderent contemtum diuitiarum, quasi eæ non manibus tractandæ, sed pedibus calcandæ essent. Ita enim Arator loquitur: Act. 4. 34.

*Calcan-*

*Calcandumq; docent, quod subdunt gressibus aurum,*

*De quo terrena veniunt ad pectora cura.*

Quamquam etiam ea re demonstrarunt, se non tam gratiam facere, quàm recipere ab Apostolis. *Maioris ducebant*, ait Chrysostomus, *quòd ab eis reciperentur, quàm quòd darentur dona. Hoc enim est potissimum contemnere opes, hoc est, pascere esurientem Christum, si absq; arrogantia & fastu id facias: sicq; des, quasi tibi ipsi plura, quàm danti beneficia dare videaris.* Das enim terram, recipis cælum, Codrus ad breue tempus, Crœsus æternùm futurus; immò Crœso incomparabiliter beatior. Finem enim æquè habuit Crœsi felicitas, ac Codri calamitas.

## §. IX.

### *Codri pauperis historia.*

Notissimum enim est, quid de Crœso, in historijs memoretur, sed quia opulentos valde erudit, hîc mihi ex Herodoto recensendum est, vbi priùs paucis de Codro narrauero, quantam ille, desertis opibus, & abiecta regia purpura, Athenienſibus victoriam, sibi autem gloriam sit consecutus.

Iustin. lib. 2. *Erant inter Athenienses & Dorienses simultatem habentium veteres offensa, quas vindicaturi bello*

*bello Dorienſes, de euentu prælij oracula conſuluerunt: Reſponſum, ſuperiores fore, ſi regem Athenienſium occidiſſent. Cùm ventum eſſet in bellum, militibus ante omnia cuſtodia regis præcipitur. Athenienſibus eo tempore rex Codrus erat; qui & reſponſo Dei, & præceptis hoſtium cognitis, permutato regis habitu, pannoſus, ſarmenta collo gerens, caſtra hoſtium ingreditur: ibi in turba obſiſtentiũ, à milite, quem falce aſtu conuulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienſes ſine prælio diſcedunt. Atq; ita Athenienſes virtute ducis, pro ſalute patriæ mortiſe offerentis, bello liberantur. Poſt Codrum nemo Athenis regnauit: quod memoriæ nominis eius tributum eſt.* Quare rex iſte, è diuite pauper, & ſibi immortale decus peperit, & patriæ ſuæ incolumitatem. Aptè hoc factum Chriſto pauperi, & crucem, velut ſarmenta collo gerenti, ac pro ſalute humana morti ſeſe offerenti accommodatur: ſed etiam appoſitè comparatur ijs, qui ſub ſchemate paupertatis multa patiuntur, atque ita multis alijs proſunt, oratione, patientia, exemplo, merito; ſibi verò gloriam pariunt ſempiternam.

## §. X.

### *Solonis de Crœsi diuitijs ac felicitate judicium.*

Crœsus autẽ diuerso tramite ad exitium suum tetendit, luculenta sanè tragœdia ostendens, quàm non solùm illi Solon, sed etiam nobis S. Paulus sapienter consuluerit, cùm scriberet: *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Ita igitur Herodotus loquitur de Solone, qui peregrè profectus in Ægyptum ad Hamasim se contulit, & Sardis ad Crœsum. *Eò cùm peruenisset, hospitaliter à Crœso exceptus est, tertioq;, aut quarto quàm venerat die, jussu Crœsi, ministri circumduxerunt hominem circa thesauros: omniaq;, qua illic inerant magna atque beata, ostentarunt. Contemplatum eum cuncta, & vt sibi opportunum erat, intuitum, talibus percontatus est Crœsus: Hospes Athenienſis, quia multus ad nos rumor de te emanauit, ob tuam sapientiam tuamq; discursationem, qui philosophando permulta videndi gratia es peregrinatus*

1. Tim. 6. 17.

Herodot. Halicarn. lib. 1.

grinatus, mihi nunc cupido inceßit ſciſcitandi te, ecquem vidiſti omnium beatißimum? ſperans videlicet, ſe inter homines beatißimum eſſe, ita ſciſcitabatur. Solon nihil admodum aſſentatus, ſed vt res erat reſpondens: Ego verò, inquit, rex vidi beatißimum Tellum Athenienſem. Quod dictum admirans Cræſus, inſtat interrogare: Qua de re Tellum judicas eſſe beatißimum? Quòd, inquit, Tello in Repub. bene inſtituta filij erant honeſti & boni, eorumq; ſingulis liberi, hiq; omnes ſuperſtites, & cùm hoc vita, quantũ in nobis ſitum eſt, bene traduxiſſet, obitus ſplendidißimus obtigit. Siquidem prælio, quod Athenienſes cum finitimis geßêre apud Eleuſinem, his cùm auxilio veniſſet, hoſtemq; in fugam vertiſſet, pulcherrimam oppetijt mortem. Quem Athenienſes, quo loco occubuerat, in eo loco publicè humauerunt, magnificeq; honorarunt. Multa de Tello ac beata Solone referente, excitatus Cræſus interrogat. Quemnam ſecundum ab illo vidiſſet, putans haud dubiè ſecundas ſe partes eſſe laturum: Cleobin, inquit ille, & Bitonem: quippe his & genus Arginum erat, & victus ſuppeditabat: ad hæc corpori robur tantũ, vt & in certaminibus ambo pariter victores exiterint, & de his iſta memorentur. Cùm dies feſtus Iunonis apud Argiuos eſſet, oporteretq;

omnino matrem horum ad templum ferri bobus iunctis, hiq; boues ex agro eis ad horam præsto non essent: tunc iuuenes, excluſi tempore, ingŏ ſubeuntes plauſtrum pertraxerunt, quo mater vehebatur, & quinq; ac quadraginta per ſtadia trahentes ad templum peruenerunt. Quibus, cùm hæc feciſſent, & ab omni cœtu conſpecti fuiſſent, optimus obtigit vitæ exitus: per quos Deus indicauit, ſatius homini eſſe mori, quam viuere. Nam cùm circumſtantes Argiui laudibus tollerent, viri quidem conſilium filiorum, famina verò eorum matrem, quòd tales filios haberet: mater gaudio perfuſa cùm liberorum ſtatu, tum forma, ante ſimulachrum ſtans precata eſt deam, vt Cleobi & Bitoni filijs ſuis daret id, quod optimum eſſet homini contingere. Poſt hanc precationem, vbi ſacrificarunt, epulatiq; ſunt, quieſcentes in ipſo delubro, non ſunt amplius excitati, ſed hoc vitæ exitu perfuncti. Quorum effigies, tamquam virorum, qui optimi extitiſſent, Argiui factas, apud Delphos collocarunt. Et his quidem Solon ſecundas beatitudinis partes tribuebat. Crœſus autem contumbatus inquit: Hoſpes Athenienſis, adeóne tibi quaſi nulla contemnitur noſtra felicitas, vt ne priuatis quidem viris nos æquiparandos ducas? Cui ille, Me, Crœſe, gnarum, omne numen inui-

dum

dum esse, & turbulentum, de rebus humanis interrogas. In diuturno enim tempore, multa videntur, quæ nemo velit videre: & tolerantur multa, quæ nolit quispiam tolerare. Proponamus enim homini terminum vitæ ad septuaginta annos, qui anni constant ex viginti quinq; millibus ac ducentis diebus, mense intercalari non posito. Quòd si velis reliquum annorum ob hunc mensem prolixius fieri, vt horæ ad id, quod deest, accedentes congruant, menses quidem intercalares supra annos septuaginta fient triginta quinq;, dies autem ex his mensibus mille quingenti. Horum dierum omniũ, qui sunt in septuaginta annis numero viginti sex millia ducenti quinquaginta, nullus prorsus qualẽ alius rem affert. Ita igitur, Crœse, omnino calamitosus est homo. Verùm tu mihi videris & diuitijs valde pollere, & permultorũ hominũ esse rex; sed quod me interrogasti, nondum te appello, priùs quam bene vita defunctum te audiero. Neq; enim beatior est, qui magnis opibus præditus est, eo qui diurnum victum habet: nisi eidem omnibus bonis prædito, fortuna concesserit, bene vita defungi. Etenim complures homines sunt perquam locupletes, minimè tamen beati: complures item mediocria habentes patrimonia, fortunati. Quorũ is, qui diuitijs affluit, sed non beatus est, duabus

tantummodo rebus antecellit fortunatum: ut hic illum pluribus. Ille ad cupiditates implendas, & ad magnos casus ferendos potentior est: hic etsi illo inferior est in his duobus, quæ bona illi a fortuna denegantur, tamen excellit, quòd illorum inexpertus est, quòd prospera fruitur valetudine: quòd malorum expers, quòd bonorum liberorum parens, quòd formosus est. Qui si præter hæc diem quoque suum rectè obierit, is est (quem quæris) dignus, qui vocetur beatus, prius tamen, quàm ad obitum peruenerit, nequaquam beatus appellandus, sed fortunatus: quia omnia consequi quàm diu sis homo, impossibile est. Sicut nec vna regio cuncta sibi ipsi suppeditat, sed aliud habens, alio indiget: quæ tamen habet plurima ea est optima. Quemadmodum & hominis corpus vnum aliquod non est consummatum, quia aliud habet, alio vacat. Quisquis autem horum plurima perpetuò habuerit, dehinc placido animo è vita excesserit, hic apud me nomine hoc veluti rex donari mereretur. Omnis rei oportet inspicere exitum, quò sit euasura: quoniam multos Deus, quibus fortunas suppeditauerat, radicitus euertit. Hæc Solon negs assentando Cræso, neque vllius eum momenti faciendo locutus, dimittitur. Sanè, est visus esse indoctus, qui bonis præsentibus prætermissis, inberet omnium rerum inspicere exitum.

§. XI.

## §. XI.

### *Crœsi exitus infelix.*

Ita ridentur à stultis sapientes. Ita cum Phrygibus sapiunt, quos Plutus excæcat. Sed serò tandem palinodiam cantant. Quod & Crœso accidit. Nam *post abitum Solonis*, inquit auctor, *ingens deorum indignatio Crœsum excepit id quod credibile est ei ideò accidisse, quoniam seipsum omnium hominũ beatissimum arbitratus fuisset.* Patuit enim tunc fortunam esse fugacem. Nam primò eum somnium exterruit. Dein filius in venatione aprorum, ab illo ipso occisus, cui in custodiam datus erat, contristauit. Tertiò oraculo malè intellecto deceptus est. Quartò infeliciter cum Cyro pugnauit. Quintò Sardis vrbs est expugnata. Sextò ipse Crœsus viuus captus. Itaque *Persæ & Sardibus potiti sunt, & Crœso viuo, cùm regnasset annos quatuordecim, totidemq; dies fuisset obsessus, amisso magno imperio, vt ei fuerat responsum. Eum captum Persæ ad Cyrum perduxerunt, quẽ ille vinctum compedibus, super ingentem, quam struxerat, lignorum struem imposuit, circaq; eum bis septem Lydorum filios, siue habens in animo primitias has alicui Deo offerre, siue volens votum persolnere, siue cupidus sciendi, num quis damonum*

liberaret Crœsum, quẽ religiosum esse audierat, quò minùs pyra impositus viuus concremaretur. Hæc quidem Cyrum fecisse aiunt. Crœso autem super pyram stanti, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentẽ Solonis, quod ab eo sibi nutu Dei fuisset dictum, ex viuentibus beatum esse neminem. Quod dictum vbi subijt Crœso, ferunt eum ex vehementi defectione animi victum ingemiscentem ter Solonem nominasse, & Cyrum, cùm audisset, jußisse interpretem eum percontari, Quænam inuocaret? illosq; accedentes fuisse percontatos, & hunc interrogatum silentium egisse. Deinde cùm loqui cogeretur, dixisse: Illum nominaui, qui vt omnes tyrannos alloqueretur, ego quàm ingentem pecuniam, præoptarem. Eum non planè loquentem, rursus interrogat, quidnam esset, quod dixisset? Efflagitantibus atq; instantibus interrogationi, inquit, quemadmodum Solon, qui esset Atheniensis, ad ipsum à principio venisset, & intuitu omnes eius opes coram, pro nihilo duxisset. Adeò quæ de ipso dixerat, ea omnia euenisse: neque hæc magis de seipso, quàm de omni hominum genere, & de his præsertim, qui sibipsis beati viderentur. Hæc Crœso referente, jam pyra incensa, ardere extrema cœpisse, & Cyrum auditis per interpretem, quæ Crœsus dixisset, pœnituisse

cùm

*cùm se quoq; hominem esse cognosceret, qui aliũ hominem, qui inferior non fuisset opibus, viuum rogo traderet. Praterea veritum ob id pœnam, ac reputantem, nihil esse rebus humanis stabile, jussisse ignem celerrimè extingui jam incensum, Crœsumq; deponi, & quæ circa eum erant. Verùm eos, qui ignem jam conabantur extinguere, non eualuisse.*

## §. XII.

*Quomodo iys, qui falso se, cum Crœso felices judicarunt, resipiscendum?*

Huc vsque Crœsi, diuituméque omnium, qui in opibus beatitudinem suam constituunt, miseria. Nempe ita & ipsi loquentur, cum diuite epulone in inferno, & damnatorum flamma cruciati. Ibi frustra, quia serò deplorabunt suam insaniam, cùm non iam Soloni, sed neque ipsi Christo crediderint, qui non dixit: *Beati diuites*, sed *Beati pauperes*, itemque: *Væ vobis diuitibus*. Sed hoc væ nondum credunt, quia nondum sentiunt, alioquin & ipsi sibi *facerent amicos de mammona iniquitatis*. Nam audi, quid de Crœso memoret Herodotus, Iusserat iam Cyrus rogum dirui, pyramq; extingui, sed indomitam. ait igitur, *ibi Crœsum, cognita per Lydos Cyri pœnitentia cùm*

Matth. 5. 3.

Luc. 6. 24.

Luc. 16. 9.

cerneret vnumquemq; extinguendo deuolu-
doq; igni incumbentem, nihil tamen profici, t
clamando inuocasse Apollinem, vt ipsi adesset
quod ab eo donum illi gratum fuisset oblatu
ipsumq; præsenti malo liberaret. Ita cum il
chrysus Craso Deum innocante, nimbos repe
tè, cùm serenum ac tranquillum esset, consu
ctos esse, imbresq; erupisse, ac vehementissim
aqua pluisse, & rogum extinxisse: Non dispu
to cuius hoc ope acciderit. Illud hinc dis
ti suadeo: *Peccata tua eleemosynis redimi.* I
iterum ô diuites, *facite vobis amicos de mam
mona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipia
vos in æterna tabernacula.* Nam, vt S. Grego-
rius Nazianzenus loquitur: *Nullus cultu
Deo perinde gratus est, vt misericordia erg
pauperes. Nam primò, Deus vult quosdam ess
pauperes, vt nos infirmitatis nostræ submoneant.
Secundò pauperes iuuandi sunt: quia fratres
nostri sunt, tum natura; tum imaginis Dei in
Christo renouatæ; tum fidei, spei, dilectionis, &
adoptionis diuinæ, tum vitæ beatæ respectu. Ter-
tiò, quia ad Christum communem fratrem
aspiramus. Quartò, quia cùm nihil sit stabile in
præsenti, de opibus per pauperes in tuto collocan-
dis est cogitandum. Quintò, ob infinita homi-
nei commoda, quæ ad tria reuocari possunt, scili-
cet*

Dan. 4. 24.
Luc. 16. 9.

S. Gregorius Naz. orat. 16. de pauperũ amore.

licet ex malis præseruatio, salutis certitudo, præmiorum maxima fiducia. Sextò, quia Deus, qui innumera nobis contulit beneficia, iubet, vt pauca fratribus largiamur. Septimò, nihil tam Deo proprium, quam misericordia & beneficentia, ille autem nobis imitandus est. Octauò, pauperes sub speciali cura & prouidentia latent, teste scriptura. Nonò, quia in die judicij electi ob eleemosynas factas cælo, reprobi ob eas neglectas inferno adiudicabuntur.

# INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

## CAPVT I.

Paupertas, ob quas cauſſas, hominibus odioſa atque execrabilis eſſe videatur? Pag. 1

§. 1. *Idem, apud Deum, pauper & diues: ſed non item apud homines.* Ibidem

§. 2. *Quanti diuitias fecerint Poëtæ?* 3

§. 3. *Quanti fecerint diuitias Prophetæ, & Philoſophi?* 4

§. 4. *Paupertas amicis, rebus neceſſariis, & ope aliena videtur carere.* 7.

§. 5. *Paupertas malæ educationis & vitiorum cauſſa, virtutumq; obex eſſe videtur.* 8.

§. 6. *Bulæ exemplum egeſtate ad rapinas adacti.* 11.

§. 7. *Paupertas ærumnarum cauſſa.* 13.

§. 8. *Paupertas extremæ impatientiæ cauſſa.* 14.

## CAPVT II.

Quid ſit, & quotuplex paupertas; treſque pauperum claſſes. Pag. 16.

§. 1. *Pauperum inani querelæ quomodo ſatisfiat?* ibid.

§. 2. *In quonam conſiſtat paupertas.* 18.

§. 3. *Quotuplex sit paupertas, vel paupertes?* 21.
§. 4. *Prima classis inuitè paupertatem ferentium.* 23.
§. 5. *Altera classis patienter paupertatem tolerantium.* 26.
§. 6. *Ad vtrumque parati, & contenti exemplum.* 27.
§. 7. *Ad vtramq; fortunam parati exemplum aliud.* 32.
§. 8. *Tertia classis paupertatem diuitijs anteponentium.* 33.
§. 9. *Qui paupertatem putent etiam esse gloriosam?* 36.
§. 10. *Miseria eorum, qui agrè ferunt, sibi aliquid deesse, & Plutum, vt Deum adorant.* 37.
§. 11. *Paupertatẽ & diuitas in vtramq; partem, hoc est, bene & malè posse adhiberi.* 40.
§. 12. *Cur quidam voluntariam paupertatẽ eligant?* 43.

## CAPVT III.

**Vel ex Ethnicorum doctrina, paupertatem diuitijs esse anteponendam.** Pag. 45.
§. 1. *Pauperis ad Saturnum supplicatio, de rerum aqualitate inducenda.* 45.
§. 2. *Longè meliorem esse pauperum, quàm divitum condicionem.* 51.

§. 3.

§. 3. *Ex Aristide aliorumq; sententia paupertatem diuitijs antistare.* 54.
§. 4. *Paupertas libertatis socia.* 55.
§. 5. *Copia inops, & inopia copiosa.* 56.

## CAPVT IV.

Acquisitio, possessio, amissio diuitiarum quantis miserijs sit obnoxia? Pag. 59.
§. 1. *Nescire eos, quid appetant, qui opus appetunt.* Ibid.
§. 2. *Mentes humanas appetitu cæcari.* 61.
§. 3. *Quantus sit labor in diuitijs acquirendis?* 64.
§. 4. *Quantis sceleribus plerumq; diuitiæ acquirantur?* 66.
§. 5. *Pessimæ artes, quibus diuitiæ atq; nobilitas sæpe sunt quæsitæ.* 68.
§. 6. *Cura & solicitudo in diuitijs retinendis.* 71.
§. 7. *Quã miseros faciat pecunia habentes?* 73.
§. 8. *In paupertate delicias maiores percipi, quàm in diuitijs.* 76.
§. 9. *Miseram esse felicitatem, in possessione diuitiarum.* 80.
§. 10. *Diuitiarum amissio luctuosa.* 83.
§. 11. *Dolor ex amissione diuitiarum, ab exemplis Dionysij Syracusani, Crassi, & Ioannis Conarij Equitis Polonj.* 85.

CAPVT

## CAPVT V.

Quanta diuitijs & vitijs inter se sit cognatio? Pag. 88.

§. 1. *Diuitijs boni bene, mali malè vtuntur.* *Ibid.*

§. 2. *Diuitiarum pericula, & damna.* 90.

§. 3. *Superbia è diuitijs.* 93.

§. 4. *Diuitiæ, sunt causſa multorum criminum.* 95.

§. 5. *Diuitiarum vanitas, ab exemplo Alarici Gothorum Ducis.* 100.

§. 6. *Auaritiæ Sordes & insatiabilitas, ab exemplo Midæ, Vespasiani, Mich. Paphlagonis, Iustiniani.* 102.

§. 7. *Auaritiæ sitis, & thesaurizantium vanitas.* 107.

§. 8. *Prodigalitas è diuitijs.* 110.

§. 9. *Bella & lites è diuitijs.* 116.

§. 10. *Diuitias appeti ob vindictam, ob quam ipsam essent fugiendæ.* 118.

§. 11. *Opes bellorum, & aliorum tam publicorum, quàm priuatorum malorum causſam esse.* 119.

§. 12. *Auarus quomodo seipsum cruciet?* 122.

§. 13. *Auaritiam nec mortuis parcere.* 124.

§. 14. *Auaritiam esse causſam parricidiorum.* 126.

§. 15.

§. 15. *Auaritiam & ambitionem in fra… sauijsse.* 12…
§. 16. *Auaritiã pecunias Deo antepone…* 13…
§. 17. *Constantini Manassis de auro elog… quod malè pro Numine colitur.* 13…

## CAPVT VI.

Immodica & stulta diuitiarum cupiditat… homines iram, vindictamque DEI, & di… uitiarum amissionem promereri: quam… quam ex hac amissione nemo debeat j… dicari. Pag. 13…
§. 1. *Parabola de auri cupiditate sapientiam… destruente.* Ibid.
§. 2. *Quantis auari stultitijs decipiantur* 14…
§. 3. *Meritò amittere diuitias, qui eis immo… ritò inhiant.* 14…
§. 4. *Hominum exemplo, Deum ad auaritiã… plectendam inuitari.* 145.
§. 5. *Non tamen more hominum dissimulari… à DEO hominum auaritiam.* 147.
§. 6. *Exempla punitorum ob auaritiam.* 148.
§. 7. *Militia auaritia cur, & quomodo à Deo… plectatur?* 15…
§. 8. *Ecclesiastica bona inuadens auaritia… paupertate punita.* 15…
§. 9. *Quinam auari Ecclesiastica bona inua… dant?* 15…

§. 10. *Cauſſæ complures, ob quas Deus auaros militiæ duces ſinit depauperari.* 160.
§. 11. *Dari diuitias, & auferri bonis æquè ac malis.* 162.

## CAPVT VII.

Ipſa vitia diuitijs pariter, & diuitibus obeſſe: ac proinde vel hinc opes, tamquã ſpinas & laqueos, habendas, immò abijciendas eſſe. Pag. 165.
§. 1. *Superbia auaritiæ amica, & inimica.* *Ibid.*
§. 2. *Prodigalitas auaritiæ aduerſa.* 167.
§. 3. *Ira, pigritia, auaritia quantum noceat diuitibus?* 169.
§. 4. *Inuidia auarum plectens pecuniâ.* 172.
§. 5. *Tragicum auaritiæ in ſeipſam ſæuientis exemplum.* 174.
§. 6. *Diuitiarum execratio.* 180.
§. 7. *Cur diuitiæ ſpinis comparentur?* 181.
§. 8. *Cur diuitiæ laquei vocentur?* 184.
§. 9. *Pecunia iniuſtè acquiſita, vtiliter perdita.* 186.

## CAPVT VIII.

Quanta multis diuitiæ ſint occaſio æternæ damnationis? Pag. 189.
§. 1. *Chriſti teſtimonio difficile eſſe diuitibus ſaluari.* *Ibid.*

§. 2. *Auaros ijs miseriores esse, qui ad metalla damnantur.* 191.

§. 3. *Auari, inter opes, miseranda mors.* 194.

§. 4. *Vt non sine prodigio Israëlitæ, per mare, ad terram promissionis; ita neq; diuitem ad cælum peruenire.* 195.

§. 5. *Aureum torquem putans, laqueum à diabolo accipit, diuites, præ pauperibus, auferente.* 198.

§. 6. *Diuitiæ, etsi sint beneficium DEI, tamen, ob humanam cæcitatem, fiunt exitij causſa.* 200.

§. 7. *Diuitias esse occasionem damnationis, quia faciunt immisericordes.* 203.

§. 8. *Auari liberalitatem suam retractantis subita pœna.* 204.

§. 9. *Dives, quia immisericors, fuit damnatus.* 207.

§. 10. *Dives, etiam quia voluptarius fuit, damnatus est.* 209.

§. 11. *Auaritiæ fraudes Acherontici flammis dignæ.* 211.

§. 12. *Hereditates iniustæ, quàm seuerè etiam in heredibus punitæ.* 214.

§. 13. *Diuitis & pauperis mors inter se collata.* 218.

§. 14. *Periculosum diuitiarum pondus abiciendum esse.* 220.

CAPVT

## CAPVT IX.

Qualis diuitum, qualis pauperum mors esse soleat. Pag. 222.

§. 1. *Pauperum mors pretiosa, diuitum pessima.* Ibid.

§. 2. *Poëticum exemplum diuitis vitam prolongare cupientis.* 224.

§. 3. *Poëticum exemplum pauperis morte gaudentis.* 227.

§. 4. *Historia sacra diuitum mortem timentium.* 232.

§. 5. *Quàm vehementer Antiochus mortem timuerit.* 235.

§. 6. *Quàm sit pretiosa mors Sanctorum, Sadoth declarauit.* 237.

§. 7. *Pretiosa Blesilla, & S. Ioannis Eleemosynarij, pauperumq; mors.* 239.

## CAPVT X.

Pauperum diuitias esse regnum cælorum, quod non solùm ipsis promissum, sed etiam alijs per ipsos. Pag. 242.

§. 1. *Pauperum eminentia regia, etiam in hac vita.* Ibid.

§. 2. *Pauperum potestas regia etiam in hac vita.* 244.

§. 3. *Regnum cælorum dare, esse pauperum, quia id possunt impetrare orando.* 246.

§. 4. *Regnum calorum à pauperibus aperiri, dum alios ad misericordiam mouent.* 250.

§. 5. *Misericordes misericordiam consequi.* 252.

§. 6. *Cur prudentes domini, pauperes magnifaciant?* 256.

§. 7. *Sicut nos erga pauperes gerimus, ita se erga nos gerit Deus.* 257.

§. 8. *Exempla eorum, qui, per pauperes, sibi ad cælum aditum fieri vtiliter crediderunt.* 259.

## CAPVT XI.

Paupertum diuitias, esse virtutes. 262.

§. 1. *Paupertum diuitias esse regnum calorum spe & re.* Ibid.

§. 2. *Regnum calorum, quod paupertum esse dicitur, variè accipi.* 264.

§. 3. *Paupertatem, vt virtutum, ita & diuitiarum esse causſam.* 266.

§. 4. *Paupertatem esse otij inimicam, laboris patronam.* 267.

§. 5. *Paupertas humilitatis mater est, sicut superbia filia diuitiarum.* 270.

§. 6. *Amor paupertatis fons liberalitatis.* 274.

§. 7. *Paupertas etiam per miracula sit liberalis.* 277.

§. 8. *Paupertas Pacis & Concordiæ mater, sicut*

*ſicut auaritia diſcordiarum.* 280.
§. 9. *Paupertas temperantiæ mater.* 283.
§. 10. *Pauperis oratio quàm potens?* 284.
§. 11. *Paupertas ſpe & fiducia, itemq; iuſtitia & fortitudine locuples.* 286.
§. 12. *A paupertate virtutum, non criminum occaſionem accipiendam eſſe, docet Lazari exemplum.* 289.

## CAPVT XII.

Æquo animo pauperibus ferendum, ſi vanis diuitijs ſpolientur, cùm virtutibus alijſque rebus melioribus nolentes ſpoliari non poſſint. Pag 292.
§. 1. *Quomodo S. Auguſtinus conſolatus ſit, opibus non virtutibus ſpoliatos?* *Ibid.*
§. 2. *Par D. Antonini conſolatio.* 296.
§. 3. *Iaponenſis pueri de pretio paupertatis oratio.* 298.
§. 4. *Interiora hominis bona, quæ in paupertate elucent, magis æſtimanda.* 299.
§. 5. *Etiam qui inuiti ſua bona amiſerunt, conſolatione non carent,* 301.
§. 6. *Quàm bono dolo Macarius diuitem virginem deceperit, vt gauderet de eo, quod inuita amiſerat.* 303.
§. 7. *Macarij, & Ioannis Eleemoſynarij, in pauperibus iuuandis, quo modo imitandum*

*sit exemplum?* 309.

CAPVT XIII.

Quantam DEVS pauperum suorum curam gerat? Pag. 310.

§. 1. *Ad Deum optimum Mundi procuratorem pertinere tam parui, quàm magni mundi vices.* Ibid.

§. 2. *Variæ causſæ, ob quas peculiarem pauperum curam gerit Deus.* 312.

§. 3. *Exempla diuinæ erga pauperes curæ.* 315.

§. 4. *Cur Deus quoſdam pauperes non ſtatim iuuet?* 317.

§. 5. *Deus ſuo tempore & pauperibus, & pauperum patronis ſuccurrit.* 320.

§. 6. *Recens, & luculentum diuinæ prouidentiæ & curæ erga pauperes exemplum.* 321.

§. 7. *Immiſericordis, erga pauperem, vſurarij pœna.* 327.

§. 8. *Ludouico Imperatore, erga pauperes, longè liberalior Deus centuplum reddens.* 330.

§. 9. *Matre infantem ſuum curante magis ſolicitus Deus erga pauperes.* 333.

§. 10. *S. Stephanus Hungarorum rex, quantus in amandis pauperibus, fuerit Dei imitator.* 334.

§. 11. *Ethelouoldi, VVilhelmi, Germani, ſanctiſſimorum Epiſcoporum erga pauperum curæ.* 336. §. 12.

§. 12. *Ex veteri, & nouo testamento exempla feminarum Elisæum, Christum, & Apostolos curantium.* 339.

§. 13. *Alia noui Testamenti pauperes curantium exempla.* 342.

CAPVT XIV.

Moysis, Eliæ, Ioannis Baptistæ, ipsius Christi & Deiparæ, itemq; Apostolorum, ac primitiuorum Christianorum paupertas voluntaria. Pag. 344.

§. 1. *D. Bernardini de diuitijs ac paupertate parabola.* *Ibid.*

§. 2. *Moysis, Eliæ, aliorumq; Prophetarum sancta paupertas.* 345.

§. 3. *S. Ioannis Baptistæ maxima paupertatis experimenta.* 348.

§. 4. *Christi Domini ac Seruatoris paupertas.* 352.

§. 5. *Beatissimæ Dei Matris paupertas.* 355.

§. 6. *Apostolorum paupertas.* 360.

§. 7. *Plurimos in primitiua Ecclesia, sicut & Ananiam, & Sapphiram, se voto paupertatis obstrinxisse.* 364.

§. 8. *Essenorum paupertas.* 366.

§. 9. *Pauperes esse Deo similes.* 369.

CAPVT XV.

Amicos, & fratres Christi Domini, hoc est,

pauperes voluntarios, etiam posteriori-
bus sæculis, plurimos extitisse. Pag. 374.
§. 1. *Pauperes esse amicos Christi.* Ibid.
§. 2. *Pauperes esse non tantùm amicos, sed etiam fratres & familiares Christi.* 377.
§. 3. *Amorem, & votum paupertatis in primitiua Ecclesia extitisse.* 380.
§. 4. *Gallicani, Alexij, Calybitæ, Paulini, Paulæ, & Pammachij voluntaria paupertas.* 382.
§. 5. *S. Ioannis Eleemosynarij excellens paupertas.* 385.
§. 6. *Agathonis, Antonij, & aliorum paupertas.* 388.
§. 10. *Arsenij, Mesimæ, Iuliani, & aliorum Anachoretarum paupertas.* 391.
§. 11. *Religionum fundatores, quanti fuerint amatores paupertatis?* 393.
§. 12. *Sanctarum feminarum paupertas.* 395.
§. 13. *S. Claræ paupertas.* 398.
§. 14. *S. Catharina filiæ S. Birgitta honorata diuinitus paupertas.* 402.
§. 15. *Pueri admirabilis amor paupertatis.* 405.
§. 16. *Mechtildis & fratris eius, regiæ sobolis, admiranda studia paupertatis.* 410.
§. 17. *Variis modis homines imitari posse exemplo*

*empla pauperum Christi.* 418.

CAPVT XVI.

Fuisse etiam, apud Ethnicos, amatores & laudatores paupertatis. Pag. 421.

§. 1. *Ad quam paupertatem Ethnici pervenerint?* *Ibid.*

§. 2. *Maximi virtute, apud Romanos, opibus minimi.* 422.

§. 3. *Pauperes non solùm diuitibus esse beatiores, sed vitæ huic nostræ omnino necessarios.* 425.

§. 4. *Falsò putata felicitas diuitum.* 428.

§. 5. *Vera pauperum felicitas.* 432.

§. 6. *Regum miseria.* 435.

§. 7. *Cur præstet, esse pauperem?* 438.

§. 8. *Philosophorum de paupertatis pretio judicia.* 441.

§. 9. *Variarum virtutum caussa, variorumq; Græcorum heroum decus paupertas.* 443.

§. 10. *Romanorum heroum paupertas.* 445.

CAPVT XVII.

S. Bernardini, de triplici genere pauperum, sententia; & Codri Crœsique exempla. Pag. 449.

§. 1. *Tres classes paupertatis, vel pauperum.* *Ibid.*

§. 2. *Simulata, seu hypocritica paupertas.* 450.

§. 3. *Necessaria paupertas.* 452.
§. 4. *Ex necessaria paupertate voluntariam esse faciendam.* 453.
§. 5. *Diuitis & pauperis fabella è S. Bernardino.* 455.
§. 6. *Precedens fabula, in Lazaro & Epulone explicata.* 459.
§. 7. *Tertia optimaq; pauperum classis.* 460.
§. 8. *Apostolici pauperes, cur suas opes abiecerint, ad pedes Apostolorum?* 463.
§. 9. *Codri pauperis historia.* 464.
§. 10. *Solonis de Crœsi diuitijs ac felicitate judicium.* 466.
§. 11. *Crœsi exitus infelix.* 471.
§. 12. *Quomodo ijs, qui falsò se, cum Crœso felices judicarunt, resipiscendum?* 473.

# INDEX RERVM ET VERBORVM.

*Prior numerus Caput, posterior Paragraphum significat.*


*Abbatissæ Virtus in auro repudiando.* 15. 9.
*Abdiæ misericordia, erga Prophetas, compensata.* 13. 5.
*Abraham & Lot, cur non potuerint simul habitare.* 5. 9.
*Achas puer paupertatis amantissimus.* 15. 12.
*Acilius mirus opum dilapidator.* 5. 8.
*Acquisitio divitiarum, quæ laboriosa?* 4. 3.
*Adhortatio ad mortem fortiter obeundam.* 9. 6.
*Ægyptiorum bona, cur Israelitis tradita?* 6. 5.
*Ærii census.* 5. 6.
*Agathonis egregia paupertas.* 15. 6.
*Agesilaus rex sine calceis prodiens.* 14. 6.
*Agryppæ Menenij paupertas.* 16. 2.
*Aiacis impatientia ab arma Achillis negata.* 1. 4.
*Alapa emta quanto pretio?* 7. 2. *percussus ob ludum Casimirus.* 14. 11.
*Alaricus Gothorũ dux mirus opum iactator, quàm miserè perierit?* 5. 5.
*Alexandri filij regis Scotiæ mira paupertas.* 15. 13.
*Alexandria cur aquis inundata?* 6. 6.
*S. Alexij paupertas in patria domo* 15. 4.
*Alieno casu sapere docuit Cyrus.* 17. 11.
*S. Ambrosius fugit divitem infelicem.* 4. 9.
*Ambulare super aquas cur Petro fuerit facile?* 8. 4.
*Amicos Christi esse pauperes.* 15. 1.
*Amissio opum quàm luctuosa?* 4. 10. *seq. quàm utilis?* 7. 9. *ob pœnam auaritiæ.* 6. 3.
*Amor nimius divitiarum.* 6. 1. *paupertatis.* 11. 1. *in primitiua Ecclesia.* 15. 3. *& in regis filio mirus,* 15. 13. *seq.*
*Anachoretarum paupertas.* 15. 10.

Anacreontis voluntaria paupertas. 3. 5.
Ananiæ & Sapphiræ Vota violata. 14. 7.
S. Anatolia opes à se in pauperes derivat. 13. 13.
Anaxagoræ Philosophi paupertas. 2. 8.
Anima sine diuitijs expeditè evolat. 5. 2.
Antigonum cur Aristobulus necarit? 5. 15.
Antiochus cur adeò timuerit mortem? 9. 5.
Antonij Vrcei impatientia ob librum perditum. 1. 8.
Aphraatis de paupertate iudicium, 15. 7.
Apostoli ad quid mulieres secum circumduxerint? 13. 12. quàm pauperes fuerint? 14. 6.
Appetitu homines excæcari. 4. 2.
Aqua Ægyptijs mala, Israelitis bona. 2. 11. miraculose erigens. 6. 6.
Arborum folia quantum Cerigal faciant Granata? 7. 2.
Aristides paupertate glorio-
sus. 3. 3. filios pauperes l
buit, quo damno? 4. 4. qu
senserit de pauperat
16. 3.
Aristippus cur naufragium abiecerit pecuniam 15. 14
Arsenij paupertas. 15. 7
Artium mater paupertas. 3. 3.
Athesis aqua inundans tem
plo parcens. 6. 6
Auaritia inexplebilis. 4. 6
artes quas habeat in ac
quirendo? 4. 5. seqq. ma
lorum malorum causa 5.
1. seq. multa exempla elic
5. 6. sitibunda. 5. 7. ne
mortuis parcit. 5. 13. ef
causa parricidiorum 5. 14.
fratribus infesta. 5. 15. pr
cunctam Deo anteponit. 5.
16. habet aduersam prodi
galitatem. 7 2. est guil
contraria. 7. 3. se ipsam
plectit diro exemplo. 7. 4
ob fraudes orco digna. 8.
11. est mater discordiarū
11. 8.
Auarus in exemplis. 5. 6. ne
scit cui congreget. 5. 7
panes suos sibi numerat. 5.
11. sollic

§1. sollicitus curis multis. 5. §2. cupidus 5. §3. se ipsũ cruciat. 5. §2. auri fabulosa comparatus. 6. 1. à Deo & hominibus punitur. 6. 3. seq. stultè decipitur. 6. 2. est miserior damnatis ad metalla. 8. 2. inter opes miserè mortuus. 8. 3. morituros suas pecunias comedit. 7. 4. à parentib. occiditur. 7. 5. liberalitatem suam retractat, & punitur à Deo. 8. 8. auro se immergens moritur. 8. 6. ob fraudem perit. 8 11.

S. Augustinꝰ, quid ad divites dixerit. 10. 5 quo modo se gesserit erga pauperes? 10. 6.

Aurum India auro comparata. 6. 3.

Aureum torquem putans laqueũ à diabolo accipit 8. 5.

Aurum amicos parit & potentiam. 1. 2 magno labore quæritur. 4. 3. & magnis sceleribus 4. 4. est homini lapis Lydius. 5. 1. qua elogia habeat? 5. 17. & 7. 6. est homini inimicum. 7. §. colitur instar Numinis. 5. 17. in simulachra cõflatur. 5. 16. perituros facit. ib. contrectatur à morsente. 8. 6.

Balthasar rex auri sui exemplo nõ est correctꝰ. 4. 4.

Barba tonsa quanto pretio vendita? 7. 2.

S. Basilij paupertas. 15. 8.

Beatos esse pauperes ex mente Ethnicorum. 16. 3.

Bella & lites è divitijs. 5. 9. ex lucro 5. 11.

S. Benedicti paupertas. 15. 8.

S. Bernardi paupertas. 15. 8.

S. Birgitta pauperũ amatrix. 13. 13. & paupertatis. 15. 9.

Bitonis erga matrem observantia. 17. 10.

Blesilla pauperis mors pretiosa. 9. 7.

Boleslaus regnandi libidine fratricida. 5. 15.

Bonos fugiunt divitiæ. 4. 7. etiam mala iuuant. 5. 1.

Bona quæ putantur, bona non esse. 4. 8.

Bona interiora externis meliora. 12. 4.

Bulas egestate latro factꝰ. 1. 6.

CÆcos fieri cupiditate. 4. 2.

Cæ-

Calorum regnum quàm variè accipiatur? 11. 2. à pauperibus, alijs patefactum. 10. 8.
Cœna exigua cui sufficiat? 2. 10.
Cæsari danda quæ Cæsaris. 6. 9.
Calceis qualibus vti Apostolos Christus prohibuerit? 14. 6. carens Agesilaus, Phocion, Masinissa ib.
Caligula vectigalia. 5. 6. paupertas. 5. 8.
Calumnijs euersa pecunia innocentum. 5. 6.
Cambyses ob somnium fratrem occidens. 5. 15.
Campus Martius vnde dictus? 6. 4.
Casimirus, obludum, alepa percussus. 14. 11.
C. Cassij domus cur euersa? 6. 4.
Casu alieno sapiendum. 17. 11.
S. Catharina paupertas honorata 15. 11. filia. S. Birgitta paupertas. 15. 14.
Centuplum recipit pauper succurrens. 0. 8.
Chagani regis strages. 5. 17.
Chilon diuitiarum tentator. 4.
Christus Dn. ob paupertatem Iudæis spretus. 1. 3. Voluntariè quàm pauper! 14. 9. nõ erubescit pauperes fratres vocare. 15. 2. humanum genus morte sua redimens à Codro in imagine expressus. 17. 3.
Chrysargyrũ quod genus vectigalis? 5. 6.
Cibis qualibus vsus Io. Bapt. 14. 3. Apostoli? 14. 6.
Cicadas quales ederit Ioan. Bapt? 14. 3.
Ciceronis villa cur exusta? 6. 4.
Clamor pauperum it ad cœlum. 6. 6. & 13. 5.
S. Clara paupertas. 15. 10. & 15. 13.
Classes paupertatis tres 2. 3. seqq. & 17. 1.
Cleobis erga matrem observantia. 17. 10.
Codri Grammatici impatientia in paupertate. 1. 3. regis paupertas, & mors voluntaria. 17. 9.
Concordia vinculum vel dissolutæ

*solutio quid?* 11. 8.
*Coniuges pauperes mirabiliter ditati.* 13. 6.
*Consilia Euangelica ab Apostolis tradita.* 14. 6.
*Consolatio eorum, qui bona amiserunt.* 12. 1. *seq.* & 12. 12.
*Conturbationes ob auaritiã ortæ.* 1. 7.
*Conuiuia, alienâ supellectili celebrata.* 3. 5. *pauperes fecere AEtolos.* 5. 8.
*Copia inops, & inopia copiosa.* 3. 5.
*Græsi felicitas & fortuna.* 17. 10. *infelicitas.* 17. 11.
*Crassus dines decoctor dictus,* 4. 11.
*Crates Theban. opes abiecit.* 16. 8.
*Cupiditas frænata quàm dines est?* 3. 5. *infrænata, quàm crudelis?* 4. 1. *quàm cæca?* 4. 2.
*Cura Dei erga Mundum & pauperes* 13. 1. *seqq, matris erga infantem.* 13. 9.
*Cyri alieno casu sapientis dictum.* 17. 1.

*Dauidis regis paupertas.* 1. 3.
*Debita pauperum, mirabili Dei ope dissoluta.* 13. 6.
*Decoctor dictus Crassus dines.* 4. 11.
*Delicia qua ex paupertate?* 4. 8.
*Demadis prodigalitas.* 7. 2.
*Democratis paupertas.* 2. 8 *de pauperibus iudicium.* 16. 3
*Depauperati, virijs Principes.* 5. 8. *auari in pœnam.* 6. 3. *quam consolationem habeant?* 12. 1. *seq.* & 12. 5.
*Desperatum laqueo decipit diabolus.* 8. 5. *conturbat Valde. ob librum, Ant. Vrceum.* 1. 8.
*Deus sua meritò exigit.* 6. 9. *compensat, qua fiunt pauperi.* 10. 7. *pauperib.* & *pauperum patronus succurrit.* 13. 5. *est liberalis erga pauperes.* 13. 8. *habet maiorem eorũ solicitudinem, quàm mater erga filium.* 13. 9. *assimilat pauperem in multis rebus.* 14. 9.
*Deos iratos hostibus relinquendos.* 5. 1. *Lucrinos esse nullos.* 5. 17.
*Dilapidatores varij.* 5. 8.

*Dio-*

*Diogenis paupertas.* 2. 8. *ob eam Alexandro in admiratione.* 4. 9.
*Dionysius è tyranno ludimoderator.* 4. 11.
*Diuites, fabulosè quo modo, apud inferos derideantur?* 4. 3. *prodigi.* 5. 8. *pauperibus miseriores.* 5. 11. *quomodo, etsi rei, apud homines plerumq; euadant, non autem apud Deum?* 6. 5. *difficilè saluantur.* 8. 1. & 8. 4. *cur tantùm, & non etiam pauperes, captiui abducti à Nabuzardan?* 8. 5. *immisericordes, damnantur.* 8. 9. *item Voluptarij.* 8. 10. *aliter moriuntur, quàm pauperes.* 8. 13. *morte pessima.* 9. 2. *sunt Deo valde dissimiles.* 14. 9. *falsò & per somnium felices.* 16. 4. *quid à Paulo, quid à Solone audierint?* 17. 9 *quàm vtiliter pauperibus succurrant?* 17. 12.
*Diuitia à Deo.* 1. 1. & *beneficium Dei, ib. amicos faciunt, & potentes* 1. 2. & *honoratos ib. Anaxagor. Virtutib. inimica.* 2. 5. *Quantas putentur habere commoditates?* 3. 1. *quantas incommoditates?* 3. 5. *quanto labore acquirantur?* 4. 3. *Fugiũt bonos.* 4. 7. *regunt curas interiores* 4. 7. *à Chilone reprehensa* 4. 7. *miseram habent felicitatem.* 4. 9. *amittenda omnes.* 4. 10. *Indifferentes sunt.* 5. 1. *Vnde non culpanda: ib. sunt causa Vitior.* 5. 4. *perdiderunt regem Alaricum.* 5. 5. *Vindicta causa non attendes* 5. 10. *à Poetis magnifiunt.* 1. 2. *quanti à Prophetis & Philosophis habita.* 4. 4. *aut malis artibus.* 4. 5. *quanta cura retineantur?* 4. 6. *quanto luctu?* 4. 10. *sæpe sunt causa multorum periculorum* 5. 2. & *criminum* 5. 4. *meritò amittuntur.* 6. 3. *dantur & auferuntur æquè bonis & malis.* 6. 11. *à superbia exiguntur, & tolluntur.* 7. 1. *mas-*

*vae execreatione digna* 7. 6. *sunt laquei diaboli.* 7. 8. *sunt spina.* 7. 7. *sunt beneficium Dei, sed ob humanam cacitatem fiunt exitij caussa.* 8. 6. *sunt occasio damnationis, quia faciunt immisericordes* 8. 7. *habent periculosum pondus.* 8. 14. *cur fugienda?* 11. 5.

*Domini à quo & cur pauperes vocati?* 12. 7.

*S. Dominici oratio, quàm efficax?* 11. 10.

*Domitiani Imp. in iuuentute mala paupertas.* 1. 4.

*Domus obruens diuitem felicem.* 4. 9. *destructa vel mutata in pœnam.* 6. 4.

*Dona superis data etiam apud Ethnices pro vtilibus habita.* 17. 12.

*Dormiunt somnum suum diuites.* 5. 8.

*Drahomira filium in fratrem incitat.* 5. 15.

*Duces belli in quo peccent?* 6. 7.

*Ecclesiastica bona inuadens auaritia paupertate punita.* 6. 8. *quinam Ecclesiastica bona inuadant?* 6. 9.

*Educatio filiorũ mala ob paupertatem.* 1. 4.

*Eleemosyna, est ars omnium quæstuosissima.* 10. 8 *à Roberto rege ipso distributa. ib. è libris.* 11. 7. *quantùm curata à Ioanne Eleemosynario?* 12. 7. *quantùm ab alijs curanda?* 12. 11. *quantum Deum habeat?* 17. 12.

*Eleemosynarius morte pretiosa obit.* 9. 7. *magnus est rex Stephanus.* 13. 10. *& Guntherus ac alij ib.*

*Elia paupertas.* 14. 2. *Zona qualis?* 14. 3.

*S. Elisabetha amor paupertatis* 15. 9. *&* 15. 12.

*Elisæus vidua succurrit.* 13. 5. *quàm ipse pauper?* 14. 2.

*Epicteti de paupertate opinio.* 2. 8.

*Epicurus quid de paupertate senserit?* 3. 5.

*Episcoporum sanctorum cura erga pauperes.* 13. 11.

*Epulo diues cur damnatus.* 8. 9. *seq.*

*Equus, non phalara eius, conde* *side-*

*ſiderandus.* 12. 4.
*Aſſenorum vita & paupertas.* 14. 8.
*E. Etbelonoldus, quàm liberalis erga pauperes?* 13. 11.
*Ethnicorum laudata paupertas.* 16. 1. *ſeqq.*
*Euagrij eleemoſyna quo modo compenſata?* 10. 8.
*Euangelium propter euangelium venditum.* 11. 7.
*Euſtochiũ quàm amarit paupertatem?* 11. 4.
*Execratio diuitiarum.* 7. 6.
*Exempla punitorum ob auaritiam.* 6. 6. *de militia auaritia.* 6. 7. *diuina erga pauperes cura.* 13. 3.
*Exheredatus cur Themiſtocles?* 6. 4.
*Ezechias rex, audita morte ſua flenit.* 9. 4.

*Fabella diuitis inquieti, & pauperis quieti.* 17. 5. *pauperis Saturno ſupplicantis.* 3. 3. *Saturni reſpondentis.* 3. 2. *de auri noxia cupiditate, & Goballo a-ne.* 6. 3. *de Cyniſco, & Micyllo ſutore.* 9. 3. *de duabus filiabus, formoſa vna, deformi altera.* 14. 1. *Deſalſa diuitum felicitate* 16. 4.
*Fabricij paupertas.* 16. 2.
*Fames ex paupertate.* 1. 5.
*Felicitas infelix hoſpitij.* 4. 9. *miſera in poſſeſſione diuitiarum. ib. quàm fraudulenta?* 8. 6. *quàm falſa?* 14. 4. *pauperum quàm vera Craſi.* 17. 10.
*Femina ob pauperum curam laudata in Veteri teſtamento.* 13. 12. *& in nouo.* 13. *item ob paupertatem amatam.* 15. 12.
*Ferdinandus Caſtellæ rex fratricida.* 5. 15.
*Fertilitas mira agrorum.* 13. 8.
*Feugo ob regnum fratricida.* 5. 15.
*Fides negatur propter opes.* 5. 16.
*Fiducia in Deum quàm potens?* 13. 11.
*Filiorum cauſſa Phocion rogatus noluerit accipere munera.* 5. 8. *crudelitas in parentes.* 5. 14. *exitium & mors à parentibus.* 5. 15. *& 7. 5. probitas & virtus felicem parit*

parentes. 17. 10. paupertas vtilis, in Prodigo filio. 6. 5.
Flumina auersus, vt ibi auarus sepeliretur. 5. 5.
Fortuna inconstantia. 17. 10.
S. Francisci paupertas ab Apostolis laudata. 15. 8.
Fratrum ex ambitione crudelitas in fratres. 5. 15. nomine pauperes dignatur Christus. 15. 2.
Fraus in femina punita. 8. 11. in Macario laudata. 12. 6.
Fridericus II. spectaculis depauperatus. 5. 8.
Fur mirabiliter punitus. 13. 6.

GAllicanus spontaneus pauper. 15. 4.
S. Germanus quanta fiducia in Deum fuerit? 13. 11.
Goballus miranda auis in India. 6. 1.
Graecorum heroum decus paupertas. 16. 9.
Grando AEgyptijs cur immissa? 6. 5.
Grazaga, quid sit? 2. 6.
Gula opum inimica. 7. 3.
Guntherus quantus eleemosynarius? 13. 10.

HAEreditates iniustè grauiter punitae. 8. 12. quo modo diuisa suadente Eremita? 13. 13.
Hermenefredus fratricida ob regnum. 5. 15.
Hominum exemplo, Deus ad aeritiam plectendam inuitatur. 6. 4 sed non more hominum dissimulat. 6. 5.
Honor qualis à diuitijs? 11. 5.
Horuendilius rex à fratre ob regnum occisus. 5. 15.
Hospitium infeliciter beati. 4. 9.
Humilitas à paupertate orta. 11. 5. à Deo curata 12. 2. S. Elisabetha. 15. 9. S. Catharina. 15. 11. Alexandri regis Scotiae filij. 15. 13.
Hypocritica qua paupertas? 17. 2.

IAponensis puer quantùm laudarit S. Xauerium paupertatis amantem? 12. 30.
Imago Dei cur in annulo gestanda? 4. 4.
Immisericordes puniti, ac damnati. 8. 7. seqq. & 13. 7.
Incendium a lucerna ortum in quantam desperationem conjecerit impatientem? 1. 8.

Inconstantia fortuna. 17. 11.
Indifferentia paupertatis & opum quàm necessaria? 2 7. diuitiarum & paupertatis. 6. 11.
Indigentiã esse apud diuites, non apud pauperes. 14. 9.
Indulgentia matrum quàm noxia? 5. 8.
Infelicitas Crœsi. 17. 11.
Ingratitudo Mundi. 15. 1.
Interiora bona externis præferenda. 12. 4.
Inuitè pauperes. 2. 4. quod solatium habere possint? 12. 5.
Inuidia sibi noxia auarũ plectens. 7. 4.
Io. Baptista paupertas. 14. 3.
Io. Calybita paupertas. 15. 4.
Io. Conarius, ob ludũ regi dat alapam. 4. 11.
Io. Eleemosynarius quantus amator paupertatis? 15. 5.
Io. Patriarcha Alexandr. morte instante lætatus. 9. 7.
Iobi paupertas 1. 3. & 2. 5. fiducia in Deum 13. 14. seq.
Iocantes fratres vsq; ad necem exardescunt. 11. 8.
Iræ cur fratres occiderit? 5. 15.
Iosephi paupertas. 14. 5. patriarcha monitio ne litigẽt fratres. 5. 9.
Ira diuitibus damnosa. 7. 3.
Isaacius Angelus Imp. quàm crudeliter a fratre occisus? 5. 15.
Isaac in agrũ benedictio missa. 13. 8.
Israëlitis cur via in mari facta 8. 4.
Italia imbrium tempestate abluta. 6. 4.
Iuda auaritia. 1. 4. & 5. 16.
Iudæi maledicta paupertas. 1. 3.
Iudicium ex opibus, vel paupertate. 6. 11. Philosophorum de paupertate. 16. 3. seqq. & 16. 8.
Iugurtha crudelitas ob libidinem regnandi. 5. 15.
Iuliani senis paupertas. 15. 7.
Apostata impietas vindicata. 6. 6.
Iustiniani cupiditas. 5. 6. & modi facienda pecuniæ ib.
Iunij Bruti paupertas. 16. 2.
S. Iuuentius ep. Vidua succurrens. 13 7.

Labor in diuitijs acquirendis. 4. 3.
Laqueus torques aureus paupertatis 8. 5.

*Latro* Vnde *Rulas factus?* 1. 6.
*Lazarũ paupertas ad cælum euexit.* 11. 12. *ab Epulone qua discriminarint?* 17. 6.
*Liberalitas à paupertate* 4. 3. & 11. 6. *seq. erga pauperes.* 13. 7. *seq.*
*Libertas pro Deo loquentium quibus tollatur?* 6. 9.
*Libri* Venditi *in eleemosynã.* 11. 7.
*Limines fratres cur se mutuò occiderint?* 11. 8.
*Lites à pecunia oriri.* 5 9.
*Lot & Abraham cur inter se collisi?* 5. 9.
*Lucerna incendij causſa.* 1. 8.
*Lucrios non esse deos.* 5. 17.
*Lucrum diuinum pauperum.* 13. 8.
*L. Neratius quàm libenter homines de palmârit?* 7. 2.
*Ludimagister Dionysium tyrannus factus.* 4. 11.
*Ludouici Imp. erga pauperes liberalitas.* 13. 8.
*Ludus Casimiro regi alapam peperit.* 4. 11. *inter Fridericum & Mauritiũ Saxones bellum excitauit.* 5. 11.
*Luxus quanto sumtu constet?* 7. 2.
*Lydius lapis est homini aurum.* 5. 1.
*S. Lydvvina* Vinum *multiplicat, ob pauperes.* 11. 7.
*Macarius bono dolo diuitem* Virginem *decipit.* 12. 6.
*Maxima paupertas.* 15. 7.
*Magister artiũ* Venter. 16. 3.
*Magorũ munera B. V. in pauperes distribuit.* 14. 5.
*Mamertes quanta, ob auaritiam fecerit, & passus sit?* 5. 15.
*Manasses cur Iudithã noluerit esse pauperem.* 1. 5.
*Marcelli bona cur publicata?* 6. 4.
*B. Maria Deipara paupertas, amor pauperum, & parentes quo modo bona sua distribuerint?* 14. 5.
*Maria Magdalena Christum in itineribus pauit.* 13. 12.
*Matres qua filijs noxia?* 5. 8. *quo modo curent infantes?* 13. 9.
*Mauritij Imp. illiberalitas.* 5. 17.
*Maximi* Virtute *apud Romanos maximi.* 16. 3.

Mechtildis & fratris mira paupertas. 15. 16.
Medarses ob regnum occisum à fratre. 5. 15.
Menippus, amissis bonis, se suspendit. 1. 3.
Metallorum effossoribus auari miseriores. 8. 2.
Meum & tuũ discordiæ caussa. 11. 8.
Michaëli Paphlagonis Sectigalia. 5. 6. grando. 6. 6.
Milites inepta non irritandos. 1. 6 paupertate fiunt fortiores. 11. 11.
Militia duces in quo peccent? 6. 7. cur depauperentur? 6. 10.
Misericordes misericordiam consequi. 10. 4. seq.
Misericordia salutis caussa. 8. 7. & 13. 15.
Miserum est profiteri paupertatem, & sectari pecuniam. 15. 6.
Mithridates à fratre obsessus & occisus ob regnum. 5. 15.
Morientis auarum auro se immergit. 8. 6.
Mortui ab auaris infestati. 5. 13.
Mors auari pecunias comedentis. 7. 4. à parentib. occisi. 7. 5. inter opes. 8. 3. pauperis, cum morte diuitis collata. 8. 13 pauperũ pretiosa. 9. 1. diuitum inuita. 9. 2. & 9. 4. seq. pauperum optata. 9. 3 & 9. 6. sesq. sanctorum felix. 9. 7. Cadri voluntaria. 17. 9.
Moysis, Eliæ, Prophetarũ sancta paupertas. 14. 2.
Naboth vinea Achabo spina in oculis. 2. 10.
Naufragarum cur abieceris pecunias? 5. 14.
Necessitas paupertatis in modo. 16. 3 in virtutem vertenda. 17. 3. seq.
Nobilitas auro empta. 4. 5.
Opum appetentes nesciunt, quid appetant. 4. 1. cum virtutibus pugnat. 4. 4. filia auaritia. 5. 2. & superbia. 5. 3. & bellum terraq; mala. 5. 11.
Oratio pauperis quàm potens? 11. 10
Ornamentũ non magis, quàm ipse equus aspiciendus. 2. 9.
Orodes fratrẽ occidit, ob regnum

num. 5. 15.

Osiridem cur Typhon occiderit? 5. 15.

Otij remedium paupertas. 11. 4.

Pacis mater paupertas. 11. 8.

Pammachius paupertatis amator. 15. 4.

Panem quotidianum qui petant? 6. 5 seq.

Parabolarum vsus, quàm bonus? 6. 1. & 14. 1.

Parcit nonnumquam Deus, vt saluet. 6. 2.

Parentibus filij propter opes insidiari. 5. 14.

Parricidiorum caussa pecunia 5. 4.

Patienter pauperes 2. 5.

Patientia regis Casimiri alapa percussi. 4. 11.

S. Patritij paupertas semper gratias agentis. 2. 6.

S. Paula paupertatis amatrix. 15. 4.

S. Paulus quam habuerit poteſtatem mulierem secum circũducendi. 13. 12. quid S. Francisco significarit de paupertate? 15. 8. quomodo pauperes admonuerit? 17. 18.

Pauperes & diuites idẽ apud Deum. 1. 1. Saturno quemodo supplicarint? 3. 1. habent meliorem conditionem, quàm diuites. 3. 2. clamãt ad calum. 6. 6. habent mortem pretiosam. 9. 1. gaudent in morte 9. 3. quo modo habeant regnum cælorum? 10. 1. quo modo regiã poteſtatẽ etiã in hac vita 10. 2. seq. magni fiunt à prudentibus. 10. 6. virtutes pro diuitijs habent. 11. 3. potenter orant. 11. 10. à S. Augustino qua consolatione recreẽtur? 12. 1. & à S. Antonio. 12. 2. à S. Io. Eleemosynario Domini vocantur. 12. 7. Quanti fiant à Iaponibus, si sint voluntarij? 12. 3. cura sunt Deo. 13. 1. cur? 13. 2. cur aliquando non statim inuentur à Deo? 13. 4. voluntarij Prophetæ. 14. 2. Io. Baptista. 14. 3 habent in suo numero Christũ. 14. 4. & Deiparam. 14. 5. sunt Deo similes. 14. 9. sunt amici Christi. 15. 1. fratres &

familiares 15. 2. sunt mundo necessarij. 16. 3. felicíores diuitibus. 16. 7. distinguũtur in tres classes. 17. 1. à diuitibus debent iuuari. 17. 12.

Paupertas à Deo. 1. 1. & malũ putatur. ib. infirmos facit. 3. Dauid. Iobum. ib. Philosophis & Iudæis odiosa. ib. cur. 1. 4. amicis caret, & malè educat liberos. ad vitia impellit. ib. Aristidis in filios redundat. 1. 5. quas ærumnas habeat annexas? 1. 7 impatientia quanta causa? 1. 8. Diuitijs anteposita 2. 8. qua gloriosa? 2. 9 vsus eius. 2. 11. sua consolatione non caret. 2. 1. indifferens. ib. Quid sit paupertas? 2. 2. quid non? ib. quotuplex? 2. 3. eius varia causa. ib. eius tres species ex Hugone. ib. qui eam inuitè ferant? 2. 4. Socrati & Platoni amata. 2. 8. item Democrito, Demonacti, Diogeni, Crateti Senecæ ib. laudata Minutio Felice. 2. 9. quanta habeat commoda? 3. 2. quo modo Resp. prosit. 3. 4. quàm sit diues? 3. 5. quantas delicias afferat? 4. 8. quantas diuitias. 4. 9. est mater humilitatis. 5. 3. facit felicem quàm opulentia. 6. 1. sq. vitiũ 6. 5. inducta ob Ecclesiastica bona violata. 6. 8. est res indifferens. 6. 11. virtutum causa. 11. 3. & diuitiarum ib. & laborũ. 11. 4. otij inimica & mater humilitatis. 11. 5 facit liberales. 11. 6. seq. pacis mater. 11. 8. & temperantia. 11. 9. spem habet comitẽ. 11. 11. item iustitiam & & fortitudinẽ. ib. est virtutum occasio. 11. 12. & thesaurus monachi. ib. homines probat. 13. 14. à Deo curatur. 13. 8. per parabolam pretiosa ostẽditur. 14. in veteri & nouo testamẽto culta. 14. 2. seqq. voluptuaria vbi eluceat? 15. 5. diuinitus honorata 15. 11. est ingeniosa. 16. 3. Codri. 17. 9.

Pecunia quantorum malorũ causa

*cauſſa?* 4. 4. *emit nobilitatem.* 4. 5. *eſt cauſſa ſolicitudinis.* 4. 6. *miſeros facit habentes* 4. 7. *tentationes affert.* 5. 3. *luxũ fouet.* 5. 8. *abÿcitur à nauigaturo.* 5. 14. *eſt auaris charior, quàm Deus.* 5. 15. *non Dea.* 5 17. *iniuſtè acquiſita, & ſtultiter perdita.* 7. 9.

*Pedibus Apoſtolorum cur ſubiecta bona?* 17. 8.

*Periuros facit aurum.* 5. 10.

*S. Petrus cur facilè ambularit ſuper aquas?* 8. 14. *quid S. Franciſco pauperi indicarit?* 15. 8.

*Pheraulas cur maluerit eſſe pauper, quàm diues?* 3. 4. *Philoſophorum de paupertate iudicia?* 16. 18.

*Phocion, cur nec profilÿs donatas ſoluerit acceptare pecunias?* 5. 8.

*Phryne meretrix quàm diues & ſuperba?* 5. 4.

*Pigritia opum inimica.* 7. 3.

*Placilla Theodoſÿ, quid pauperibus fecerit?* 10. 6.

*Plauſtra materni ſectores filÿ.* 17. 16.

*Plutus pro Deo à quibus habitus.* 2. 10. *cæcus excæcat.* 4. 2. *cur à Timone excluſus?* 14. 7.

*Poculum Vino prodigiosè repletum pauper regi offert,* 11. 7.

*Poëticum exemplum diuitiæ mori nolentis.* 9. 2.

*Polydori mors ob aurum.* 5 13.

*Polyphantes fratris occiſor.* 5. 15.

*Pondus diuitiarum abÿciendum.* 8. 14.

*Populiuori qui principes?* 5. 7. *Porci ſimiles auaris.* 5. 7. *Geraſenorum cur à diabolo interempti?* 6. 5.

*Poſſeſſio opum quàm miſera?* 4. 9, *ſeqq. etiam parua monacho nocet.* 15. 6.

*Prædones prædæ ſiunt.* 6. 7.

*Principes cur non deceat eſſe pauperes?* 1. 5. *qui ſint populiuori?* 5. 7.

*Prodigalitas Caligulam depauperauit.* 5 8. *è diuitÿs naſcitur.* 5. 8. *auaritiæ eſt aduerſa.* 7. 2.

*Prodigalitas ex diuitÿs.* 5. 8.

*Filium ex luxu.* 5. 8.
*Prodigio simile, si diues saluatur.* 8. 4.
*Prophetarum paupertas.* 14. 2.
*Prouidētia diuina erga pauperes mirabile exemplum.* 13. 6.
*Ptolomæi paupertas.* 3. 5.
*Pueri quinquennis mirus amor paupertatis.* 15. 12. *Iaponis eloquentia & iudicium de paupertate. S. Francisci Xauerij.* 12. 3.
*Puniri auaros paupertate à Deo, & hominibus.* 6. 3. *seq.*
*Pyra Croesi.* 17. 11.
*Pythagoras censuit animam auro non maculandā.* 4. 4.

*QVales in pauperes fumus, talis erga nos est Deus.* 10. 7.
*Q. AEmilij paupertas.* 16. 2.

*RAchanella quid sint?* 15. 5.
*Reginberi episcopi misera mors.* 8. 3.
*Regnum Roboam ditius factū sceleratius.* 5. 2. *calorum, esse pauperum.* 10. 1. *seqq.* & 11. 1. *quo modo id alijs dent? ib, quàm Gariè accipiatur.* 11. 2.
*Regum miseria.* 16. 6.
*Religionum Fundatores esse paupertatis amantes.* 15. 8. & 15. 11.
*Rhesus fratrem in Genatium occidit.* 5. 15.
*Richardus rex, ob thesaurum occisus.* 4. 6.
*Rixa pastorum ex opibus dominorum.* 5. 9.
*Robertus rex sua manu stipem distribuit.* 10. 8.
*Roboam rex ditatus legem Domini reliquit.* 5. 2.
*Romanorum heroum paupertas.* 16. 2. & 16. 10.
*Romuli in Remū sanitia.* 5. 15.
*Ruth paupercula à Domino curata.* 13. 3.

*SAdoc mortem, pauperum pretiosam ostendit* 9. 6.
*Saluari diuitibus difficile.* 8. 1.
*Sapientiam perdit auaritia* 6. 1.
*Scala in inferno terribilis iniustorum.* 8. 12.
*Sepultus cum opibus suis Alaricus rex.* 5. 5.
*Serici lucrum.* 7. 2.
*Serpentum ingens vis in Tyberio*

beri. 6. 6.
Seruitus Mundi quàm misera? 15. 1 pecuniarum. 5. 16.
Sinu exceptus S. Ioannes & Lazarus. 13. 8.
Sisaphonis in fratrem vindicta. 5. 15.
Socratis inopia. 2. 8. & 2. 10.
Sollicitudo è pecunia. 4. 6.
Solonis iter, & monitio de falsa huius vita felicitate. 17. 10.
Somniũ causſa, vt frater fratrem occidat. 5. 15.
Somnus diuitiarum 14. 1. & 16. 4. felicitet facit defungi. 17. 10.
Sororis & fratris pia separatio. 15. 16.
Spectaculorum sumtus inanis. 7. 2. ad paupertatem Friderico II. via. 5. 8.
Spes in Deum melior est, quàm præsens pecunia. 13. 2.
Spinus similes cur diuitiæ. 7. 7.
Splen cur diuitias comparauit Traianus? 5. 2.
S. Stephanus rex quantum fouerit pauperes? 13. 10.
Sterilitas tempore Michäelis Papilagenis. 6. 6.
Stultitia ex cupiditate auri. 6. 1. seq.
Sunamitis Elisæum poscens. 13. 12.
Superis vtiliter dona dari, Ethnici quoque putarunt. 17. 2.
Superbia è diuitijs. 5. 3. seq.
auaritia amica & inimica. 7. 1.
Supplicatio pauperis ad Saturnum. 2. 12.
Suspendens se ob amissa bona. 1. 3.

Tantali fabula de auaro. 7. 3.
Telli Atheniensis qua felicitas? 17. 10.
Temperantia mater paupertas. 11. 9.
Tempestates, ob auaritiã omnia destruentes. 6. 6.
Templo pepercit inundans Athesis. 6. 6.
Tentationum causſa pecunia. 5. 3.
Thesauri reperti causſa Richardus rex occisus. 4. 6.
Thesaurizans auarus miserè deceptus. 5. 7.
Timon cur Plutum non admise-

*miserit?* 4. 7.
*Tobiæ fiducia in Deum.* 13. 4.
*Torques aureus putatus, qui laquem erat.* 8. 5.
*Tragicum auaritiæ exemplum.* 7. 5.
*Tunicas duas cur Christus Apostolis nõ permiserit?* 14. 6.
*Tyberis inundans expœna Dei.* 6. 6.

VArijs modis licet esse pauperẽ Christi. 15. 17.
*Vectigal ère turpi.* 5. 6.
*Venatio mira Childeberti Francorum regis.* 11. 7. *Simulo caussa mortis.* 5. 15.
*Verbum, pro facto, in diuinis litteris.* 13. 3.
*Vespasiani sordida auaritia.* 5. 6.
*Vestes contemtum faciunt.* 1. 3. *defunctorum, cur olim laceratæ.* 5. 13. *quales tulerit S. Io Baptista?* 14. 3. *quales Apostoli?* 14 6.
*Vices in mundo Vnde?* 13. 1.
*Victoria morte Vnius Cedri obtenta.* 17. 9.
*Vidua duo minuta mittens à Christo obseruata.* 13. 3. *Abdiæ ab Eliseo adiuta.* 13. 5. *alia ab Episcopo adiuta.* 15. 5.
*Vindicta caussa non appetendæ opes.* § 10. *Et siphonius fratrem exemplum.* § 15.
*Vinum à S. Lydvina, item Carilepho multiplicatum.* 11. 7.
*Virtus in Verumque paratis.* 2. 7. *à paupertate foueatur.* 11. 3. & 11. 12.
*Vitiorum caussa paupertas.* 1. 4. *item occasio diuitiæ.* § 2. *seqq. quantum sit diuitibus damnum.* 7. 3.
*Voluntaria paupertas cur bona.* 2. 12 *fuit in primitiua Ecclesia.* 15. 3. *seqq. quæ bonis sit prædita?* 17. 7.
*Voluptarius diues damnatus.* 8. 10.
*Votum paupertatis in primitiua Ecclesia.* 14. 7. & 15. 11.
*Vrina Vectigal.* 5. 6.
*Vsurarij pœna diuina.* 13. 7.
*Vsus diuitiarum indifferens.* 5. 1. *sed periculosus.* 1. 2. & *difficilis.* 4. 7.
*Vxoris caussa pecunia quærenda.* 11. 9. *Valde rara & constans fidelitas* 13. 6.

W. VVenceslaus à fratre ob regnum occisus. 5. 15.
W. VVilhelmus episc. quantus pauperum amator? 13. 11.
W. VVinthoniensis episc. quàm fuerit erga pauperes affectus? 13. 11.
X. Xenophontis de paupertate testimonium. 3. 4.
Xiphilinus quid de Bula inopia senserit? 1. 6.
Z. Zona Eliæ Prophetæ & Ioannis Bapt. quanta fuerit? 14. 3.

# FINIS.

Th
3088